Ex Bibliotheca
ajori Coll. Rom.
Societ. Jesu

K
285

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON
APPARITIONVM ET GESTORVM
S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

ex legato Ill.mi Cenini

Digitized by Google



Michael et Angeli eius præliabantur cum Dracone.
Apoc. 12
Mart. Baes. f.

Digitized by Google

MICHAELIS NAVEI
IVRIVM CONSVLTISSIMI,
CANONICI ET ARCHIDIACONI
TORNACENSIS

CHRONICON
APPARITIONVM ET GESTORVM

S. MICHAELIS
ARCHANGELI,

A MVNDO CONDITO AC DEINCEPS
PER VARIAS ORBIS PARTES IN SEX LIBROS diſtinctum, cum ſummarijs ad finem operis librorum, & capitum, & tabula rerum memorabilium.

Sum Princeps exercitus Domini. Ioſue 5.



DVACI,
Ex Typographia BALTHAZARIS BELLERI ſub Circino aureo, Anno 1632.

Google

SERENISSIMIS AC RELIGIOSISSIMIS

ARCHIDVCIBVS,

BELGII PRINCIPIBVS

ALBERTO AVSTRIACO

GLORIOSÆ MEMORIÆ,

ET

ISABELLÆ CLARÆ

EVGENIÆ

HISPANIARVM INFANTI &c.

CVM diuinam, ipſamq́ proinde Maieſtatum, ac Celſitudinum omnium immenſam Celſitudinem debito cum reſpectu maximè acceſſibilem, ſubmiſſorumq́ votorum noſtrorum quantumuis quotidia-

Digitized by Google

tidianorum ac propè continuorum propēsè etiam admiſſiuam ac ſuſceptiuā non noſce tātùm, ſed quā clementiſſimè etiam ac pientiſſimè imitari Celſitudo Veſtra *noſcatur,* DOMINA SERENISSIMA; *imo cùm ab indole iſta, ab illaq́ erga omnes vel etiam rebelles conuenien- te cum agnitione ad ſe accedentes vel redeuntes propenſa cœleſtiq́ velut pietate celebretur quàm maximè vniuerſa ipſa, etſi auguſtiſſima ac potentiſſima,* Auſtriaca familia veſtra; *nec formidoloſum nobis, nec mirum fuit, ſi* Celſitudinum Veſtrarum *de minimis clientibus vnus Michaël Naueus piæ memoriæ Atrebatenſis olim ſub Reuerēdiſſimo D.* Richardoto *Officialis, ac pòſt Canonicus & Archidiaconus*

nus Tornacenſis, & Reuerendiſsimi ac Illuſtriſsimi D. Antiſtitis Maximiliani Villani-à-Gandauo, Mecœnatis noſtri, in ſpiritualibus Vicarius generalis collectanea ſua Chronicorum S. MICHAELIS ARCHANGELI *ipſis* Celſitudinibus Veſtris *nuncupanda confidiſſet, cùm & ipſas ſpecialiter* Celſitudines Veſtras *D. Archangeli, cum eiſq; Bruxellam ipſam, Clientes deuotiſsimos ſciret, ac ſuas iſtas ad eius honorem vigilias earum adnutu ac Nomine plurimùm conſortandas ac conualituras non dubitaret; cùmq;, Tornacenſi ſede vacãte, veſtro ipſo Regaliæ Iure, Parmenſi memorabiliſsimo Principe Belgium tũ Gubernante, Eccleſiæ iſtius Archidiaconum ſe conſtitu-*

tum gratiſſimo ac deuotiſſimo animo memor permaneret. Vnde & Reuerendi admod. ac nobiles Domini D. Carolus d'Oyenbrugghe, & D. Carolus des Trompes Tornacenſes Canonici piarum eius fundationum ex eodem gloriæ Dei & ſeruitij Eccleſiæ ſtudio beneuolentiſſimi ac prudẽtiſſimi directores ac prouiſores, & Mathias Naueus Dominus de Cõſtantin iuxta Tornacum eius nepos, humiles ſubditi & clientes veſtri, vt ſelectæ dedicationis huius deuotum eius deſiderium poſt pium eius obitum perceperunt, ex eadem de Celſitudinum Veſtrarum, *ac vnius quidem earum* ARCHIDVCIS ALBERTI, *etſi in cælo ab inde beati, nota benignitate, cõmuni noſtra humili*

mili

*mili confidentia, me, vt nepotem e-
ius clientemq; obſtrictiſsimum, com-
monere inſuper non omiſerunt, vt
hanc etſi præcelſam dedicationem,
ac expreſsis quidem, quos octogena-
ria ac maior ei deuotio ſuggerebat,
his eius verſibus, in lucem dandam
curarem.*

AD INVICTISSIMOS AC CLEMENTISSIMOS AVSTRIÆ ARCHIDVCES dedicatorium authoris Carmen.

ARCHIDVCES *Auſtri, queis ſe nouus exhibet orbis,*
Regnaq; vix nobis nomine nota ſuo.
Queis virtutis amans dedit ac per ſecula ſeruat
Imperium, necnon plurima ſceptra Deus;
Bella Dei qui geſſerunt, meruere triumphos
Semper concordes vnanimeſque ſibi,
ARCHIDVCIS *Cæli, Græco qui nomine talis*
Dicitur, hiſtoriam geſtaq; iure damus.
Iure damus, quem vos colitis, ſemperq; fauentem
Expertos nunquam deſeruiſſe volet.
Res miranda quòd hoc Genus *&* Stirps *inclyta tãtos*

Totque

Totque alios inter ſumpſit ab Axe viros.
Iſta ſed eſt Cæli dignatio, veſtra Michael
Vt ſimul Imperio iungeret arma ſuo;
Sicque fidem promptam, conatum denique totum
Iunctim præſtarent ARCHIDVCI ARCHIDVCES.

Quod proinde aduotiuum ac humillimum clientelaris deuoti animi obſequium vt Celſitudines Veſtræ *admittere ſuſcipereque pro conſueta ſua pietate benignè dignentur, humiliter atque obſequioſiſsimè comprecamur, ad Deumque,* SERENISSIMA DOMINA, *eſt oratio noſtra, vt Patrijs Belgicis diu incolumem* Celſitudinem Veſtram *conſeruare, ad beatumque vſque conſpectum ſuum fideliſsimam, in fidelique ſibi religione ac pietate integerrimam ac conſtantiſsimam*

Au-

Auſtriacam familiam veſtram ſoſpitare ac proſperare, quoad hic durabit mundus, progrediatur.

Ex Vniuerſitate veſtra DVACENA.

CELSITVDINI VESTRÆ.

Humilis ſubditus & cliens

MATHIAS NAVEVS

Digitized by Google



Ecce ſui à prima Patroni mente Michael
Voto, operâq; cliens Naueus multiſq; Patronus.
Mathias Naueus S. Th. Doctor L.C.
Nepos eius et Cliens.

Mart. Baes f.

PIIS VENERABILIS D. MICHAELIS NAVEI APVD NERVIOS Canonici, Archidiaconi, & R^{mi} D. ibidem Antiſtitis in ſpiritualibus Vicarij Generalis Manibus.

PHoſphorus inſanis Superos dũ territat auſis,
Et ſupra æternum nititur ire Deum;
Fratribus vnanimis contrà, ſtipate MICHAEL,
Arma ferẽs, ſtygias Mõſtrũ agis in tenebras.
Haud ſecus Angelico Naueus nomine præſtans
Vſque Dei priſcâ pro pietate ſtetit.
Id ſtudia à puero; id frugi compendia vitæ;
Et larga id turbæ pauperis auxilia
Teſtantur: ſed mens proprio deuota Patrono
Geſtorũ omnimodo proditur hoc Chronico.

Aduouebat Andreas Hoius Brugenſis Eloquentiæ & hiſtoriarum in Alma Vniuerſitate Duacena Regius ordinariuſque Profeſſor.

Non

NOn il ne pouuoit mieux ce docte perſonnage
Loüer de ſainct MICHEL le bouclier glorieu,
Et ſon fer ennemy aux ennemys de Dieu
Qu'en ce temps, ou il faut vn celeſte courage.
Non, il ne pouuoit mieux qu'en ce temps plein de rage
Faire voir à nos yeux, que le Diable abbatu
A ſes pieds, ſe debat, & ors tout combatu
Que reſte à ſes vaſſaux, qui n'en ſont que l'image?

Ian Charles de Hemricour Seigneur de Huldemberghe lez Bruſſelles ſon Couſin.

L'On void icy au vif S. MICHEL & ſes faits;
Il n'y a que miracle, il n'y a qu'vn grand zele.
L'autheur porte le nom d'vn œuure ſi parfait;
Vous voirez le liſant, vn patron ſans modele.

Michel Naueau Bourgeois & Eſcheuin à ſon tour de Tinlemont ſon Couſin.

CE liure ou le Prince des Anges,
Digne d'eternelles loüanges,
Ou le chef des bandes des Cieux
Se vient faire voir à nos yeux,
Ne deuoit plus croupir à l'ombre
Des cachots d'vn cabinet ſombre,
Sans que la main d'vn Imprimeur
Nous fiſt voir ſon ſtyle charmeur.
Tant de fondations celebres
Auoient ja tiré des tenebres
Son nom bruſlant de charité,
Pour luire à la poſterité:
Mais encore falloit il joindre
A cet Aſtre, qui nous vient poindre,
Les rayz de ce liure diuin,
Qui du Ciel nous guide au chemin.

Meſſire Eraſme de Chokier de Surlet Cheualier Bourgu[illegible]naiſtre de la noble Cité de Liege ſon Couſin.

Quan-

QVantus honor Nauee tuus, certamina ſummi
Principis Aligerûm, Carmine quando refers!
Dum tua Chriſtiadum zeloti vota refundis,
Concilias famam, conciliaſque decus.
Qui nempè æternos Superûm propugnat honores,
Illum, cui noſtræ cura ſalutis adeſt,
Hunc protectorem aduerſus plutonica regna
Quando colis, magnum pandis amoris opus.
Quando aperis noſtras quænam deuinctio mentes
Occupet, affectus das monumenta tui.
Quando tuos veneranda notat prudentia mores;
Dum pietas comes eſt, ſobrietaſque ſoror.
Alter ades MICHAEL, MICHAELEM imitando patronum,
Quantum corporeâ debilitate potes;
Dum viduas, inopeſque foues, ſolamen & illis
Præbes, materna qui pietate carent.
Si ſponſæ Chriſti Muſarum mittis alumnos,
Quis neget Angelicis te ſociare choris?
Viue igitur felix Mecœnas, viue perennis
Patroni aſpectu viue Deoque fruens.
Et mea (ſi quidquam placeant) dignare tueri
Carmina, patrono, quæ pia muſa canit.

M. Joannes du Couuent preſbyter Orciacenſis in ſeminario Regio Duaci eius alumnus.

Mili-

MIlitiæ Ducis ætheriæ miracula, geſta
Fortia, diuini vim zeli, tantaq; in Orbem
Auxilia hîc Orbis quantùm conſplendida viſet
Atque reuiſet? at ARCHIDVCVM ſub numine: namque
Nec patronatu labor hic meliore fruiſci,
Nec propriore cliens quiuit pietate moueri.

Joannes Naueus Iurium Conſultiſſimus, Cathedralis Leodienſis Canonicus cognatus eius.

In eius epitaphium.

FAuſtè adprecare, ô Neruia, Nauco
In te tot annis Archidiacono:
Is namque muſarum patronus
Pro ſtndijs ſua quæque legat.
Poſtquam tuus per luſtra decem fuit,
Tandem beatam cælo animam dedit.
Hoc corpus in templo eſt humatum:
Templa ſcholæque opibus fruuntur.

Mathias Naueus Iurium Conſultiſſimus, Dominus de Conſtantin iuxta Tornacum eius nepos.

AP

APPROBATIO.

HOc *Chronicum apparitionum & geſtorum S. Michaelis Archangeli* à D. MICHAELE NAVEO piæ mem. Iurium Conſultiſſimo, ac in theologicis non parum verſato, Canonico olim, & Archidiacono Tornacenſi, ac Reuerendiſſimi D. ibidē Antiſtitis in ſpiritualibus Vicario Generali elaboratū, ad Dei gloriam & S. Archangeli eius honorem, & fidelium pietatem, ſalua in omnibus fide catholica ac bonis moribus, multùm conducturum viſum eſt, ideoq́ue perquam dignum, quod in lucem publicetur, cenſui. Duaci die 10. decemb. 1632.

GEOFGIVS COLVENERIVS *S. Th. Doctor & Regius ordinariuſque Profeſſor, Collegiatæ inſignis Eccleſiæ D. Petri Duaci Canonicus & Præpoſitus, Duacenſis Academiæ Cancellarius & lib. Cenſor.*

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis &c. diplomate cautum eſt, ne quis *Chronica apparitionum & geſtorum S. Michaelis Archangeli* à D. MICHAELE NAVEO piæ mem. Iurium Conſultiſſimo, Canonico olim & Archidiacono Tornacẽſi elaborata, præter voluntatẽ Reuerẽdorũ adm. ac illuſtrium DD. D. Caroli d'Oyenbrugghe, & D. Caroli des Trompes Canonicorũ Tornacenſium, piarum Authoris fundationum prouiſorũ, ad ſupplicationem defuncti Authoris ſeu eorum nomine, Mathiæ Nauei S. Th. Doctoris & lib. Cenſ. Duaci, in Belgicis ditionibus vllo modo typis excudere, aut alibi impreſſum vendere, aut quoquo modo diſtribuere audeat, ad decennium à die datæ facultatis 19. Ian. 1631. idque ſub pœnis in diplomate originali expreſſis dato Bruxellæ anno & die prędictis.

Signato

J. LE COMTE.

Hanc facultatem communicari conſenſerunt prædicti Domini BALTAZARI BELLERO Typographo iurato Duaci.

MATHIAS NAVEVS.

AD LECTOREM
SVBCVRATOR.

NON mirabitur pius Lector ſi in hoc chronico geſtorum & encomio S. Michaelis Archangeli nulla plurium Michaelium Angelorum mentio fiat: quorum tamen ſub iſto eodem nomine pluralitatem à Magiſtro ſent. li. 2. diſt. 10. §. 3. indicatam Abulenſis in c. 13. Judicum & recentiores Scholaſtici aliqui Doctores commemorant, ac inde etiam reſpondent eum, quem ad nos mitti ſcripturæ ſacræ aliæque hiſtoriæ perhibent, non ſupremum illum eſſe Angelorum omnium in ordine Seraphico principem, ſed alium inferiorem ex ordine principatuum eiuſdem ob miniſteriorum actionumq; conformitatem nominis, quique in primi illius velut perſona ex eiuſq; commiſſione Eccleſiæ curam immediatè gerat; cùm nec ſecundùm diuinę prouidentiæ ordinem, inquiunt, quæ inferiora per ſuperiora gubernat, eße videatur,

deatur,

deatur, vt primi Angeli ad nos mittantur; quandoquidem & ad particulares etiam perſonas nõ infrequẽter Michael Archãgelus miſſus legatur. Siquidẽ diſsimulata eiuſmodi pluriũ ſub eodẽ nomine Angelorũ diſtinctione, Eccleſiæ cõmuni ordinariaq; deuotione eius geſta encomiaq; hîc cõmemorãtur, qui pro Eccleſię protectore & Angelorũ principe honorari conſueuit; quanquã neque ſcriptura ſacra, neque ſancti Patres, neque Eccleſia in officio diſtinctionis illius duorũ Michaelium Angelorũ meminerũt; neq; verò prędictus diſtinctionis illius finis vrgeat, cũ & omnes Angelos interdũ in miniſteriũ mitti, ſcripturę ſacrę ad Heb. c. 1. & alibi, vt pòſt etiam paucis tractatur, conformiùs ſit, neq; gratiæ Dei in regno Chriſti ſuperna beneficia ordinariæ eius prouidentiæ adſtringãtur; cùm & Chriſtus ipſe Dei filius etiam poſt aſcenſionem ſuam & ſeſſionem ad dexterã Patris, & Regina Angelorum in terris quandoq, ſe exhibeant; neq; etiam à communi prouidentia alienum ſit,

vt

vt ſupremi ipſi exercituum principes, aut rerũ publicarũ ſub rege primi gubernatores perſonaliter in prouincijs ſibi commiſſis nõ infrequenter cõpareant. Et quid mirum ſi v.g. S. Franciſco tanti ordinis in Eccleſia totius magnũ fulcimentũ & ornamentum tanto fundatori primus ipſe Seraphinorũ apparuerit, Dominique ſacra ſtigmata ei impreſſerit, alijſq; aliquibus ſanctis? quanquam imo Chriſtũ ipſum Dominũ fuiſſe, qui B. Franciſco apparuit, ſacraq; ſtigmata ei impreßit, Chronica eius inſinuare videantur, magiſque, ex reuelatione aliqua fratri cuidã laico facta his verbis: Chriſtus ſicut vulnera in cruce ſuſcepit, ita manibus ſuis benedictis in corpore meo impreßit, in ordine eius receptũ ſit, de quo Sedulius in commentario ad vitam S. Franciſci c. 14. n. 2. Siquidem nec indignũ vid ri debet, ſi primus Angelorũ pro Moyſi populi Dei ductoris tantiq; prophetæ corpore, ob tantęq; rationis momentum cũ diabolo ipſo dęmonũ primo altercatus fuerit; imo verò Vrgen-

 ſtiũ

tiùs inde efficaciùſq.. : B. Iudę aduerſus ſupremę Maieſtatis contemptores euadit argumentũ: Si enim Archãgelus ipſe, ſeu primus ipſe Angelorum pro Moyſi corpore cũ diabolo altercans nõ eſt auſus illi iudicium inferre blaſphemiæ, quãtò reprehenſibiliores dãnabilioreſq; inde arguuntur, qui cùm ſint viliſsimi homines, diuinã dominationẽ maieſtatemq; ſpernere ac blaſphemare nõ verentur; adeo etiam vt ad eam argumẽti huius auxeſim, dignitatẽ illius Archãgelicã S. Apoſtolus expreſſiſſe iure videri poſsit. Et cur verò hunc ab Archangelo (de quo 1. Theſſ. 4 ob iſtius ibi officij dignitatem, quòd Dominus *ipſe in iuſſu & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cælo) diuerſum eſſe arbitremur? vbi quidem abſq; nominis Michaelis expreſsione ſimpliciter & abſolutè Archangelus, & quidem ſolus cum* Domino *tanquam illi proximus nominatur, eáq nominatione excellenter omnes inter Angelos, cùm Angeli omnes ad iudicium cùm Chriſto deſcenſuri ſint, honoratur. Et certè cùm ſcriptura diuina Angelorũ*

in eorũ munijs nomina exprimit, ideo id facere videtur, cùm vt per quem Angelũ id geſtum ſit, nobis innoteſcat, tumq; vlteriùs ad rei, quę geritur ſpecialem aliquã dignitatem aut momentũ vel proprietatem aliquã ex miſſi Angeli notitia inſinuandam: cùm tamen iuxta illã Michaelium, Gabrielium & Raphaelium diſtinctionem quid de quo Angelo ſcriptura diuina referat, non ſit dignoſcendũ. Vnde & ex eadem opinione, quòd idem Angelus modo Michaelis, modo Gabrielis, modo Raphaelis nomen ſortiatur (ſed valde inconueniente, vt apparet neq; neceſſaria confuſione) adiunxit Abulenſis. Quam proinde plurium Michaelium, Gabrielium & Raphaelium diſtinctionem D. Thomas in Magiſtrum ſent. cõmentans aut alibi non agnoſcit, & Magiſter ipſe ſent. non ex ſua ſententia, ſed ex quorundã opinione eam refert. Atque vt ſeſe habeat ea opinio, ſi in hoc Chronicum ab authore Principi Angelorũ Chriſtiq; Eccleſiæ protectori deuotiſsime concinnata, ad Dei gloriam eiuſq; honorẽ, ac fidelium deuotionem cõducibilia

ac ſalutaria fuerint, ea quidem, etſi ad horũ euulgationem vix ſuaſibilis, neq; in viuis perſuaſa, erat eius deuotio, (ad quã quidem etiam eum adhuc hic viuentem vrgere ſolebãt D. Eſtius pię mem. & D. Coluenerius, qui & hiſtorias quaſdam ei ſuppeditauit, S. Th. Duaci Doctores & Profeßores primarij; D. Petri Præpoſiti, & Almæ Vniuerſitatis Duacenſis Cãcellarij; necnon D. Boucher S. Th. Doctor Canonicus & Archidiaconus Tornacenſis eum ſæpe monens vt Michaelijs ſuis alas daret) neque aliud pijſſimorũ ac illuſtrium Reuerẽdorũ adm. Dominorũ D. Caroli d'Oyenbrugghe, & D. Caroli des Trõpes Canonicorũ Tornacẽſium piarũ eius fundationũ ex eodẽ gloriæ Dei zelo perquàm beneuolorum ac prudentiſſimorum directorũ ac prouiſorũ meumq; eſt votum. quorum ſaluti bene adprecare, & vale in Domino.

Impreſſionis Chronici huius ſubcurator MATHIAS NAVEVS S.Th. Doctor, Canonicus Seclinienſis, ad S. Petrum Duaci Parochus, & lib. Cenſor.

CHRO-

LIBER PRIMVS.

CHRONICORVM S. MICHAELIS ARCHANGELI.

DE EIVS CREATIONE.

CAPVT PRIMVM.

CREATVS fuit S. Michæl Archangelus cum cæteris Angelis, & ſpiritibus ſtatim, vt iuxta Latinos Eccleſiæ Doctores, & Conc. Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. firmiter de ſumma Trinitate, creditur conformius, ab initio, & ſimul quando Deus creauit cælum & terram; & quidem incorporeus, immaterialis, perſonâ ab alijs diſcretus, incorruptibilis, immortalis, intellectus acrimoniâ, & mentis vigore prȩditus, ac liberam quoque vitam, & inſitam ſibi habens poteſtatem aut Deum ſequendi, aut à bono diſcedendi, necnon bonus, & in gratia ac veritate, & innocens, beatus, ac ab omni miſe-

ria immunis: non tamen in illa beatitudine, quæ perfectiſſima, & ſupernaturalis exiſtit, & in clarâ Dei viſione, ac fruitione, quatenus creatura quæpiam eius capax eſſe poteſt, conſiſtit: eam enim Angeli ſi habuiſſent, nulli eorum vmquam à Deo alienari conualuiſſent, cum ſine poſſeſſionis ſecuritate eſſe non poſſit iſta beatitudo. Munda tamen receptacula, & pellucida fuere ſpecula nullis nebulis obfuſcata. Non ſolùm autem in iſta gratia & veritate permanſit, & ſtetit B. Michael; verum etiam ſtatim pòſt auctus fuit eminentiùs, vt principatum, quem non habuerat, in perpetuum conſequeretur: Nempe ex Luciferi nefando & intolerando lapſu, qui licet & bonus, & Angelorum omnium primas conditus à Deo erat; nēpe principium viarum eius, & ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs paradiſi Ezech. 28. protinus tamen poſt aliquantæ moræ ſpatium ſe à luce veritatis auertit propria poteſtate delectatus, neque creatori ſuo caſto amore adhęſit, ſed viſo principatu in ſuperbiam elatus ſuo creatori rebellauit, ius peruerſæ libertatis ppetijt vt præeſſet cæteris, nulliq́ue ſubeſ-
ſet;

ſet; conſiderauit ſuam, qua præditus erat, pulchritudinem, & eius occaſione inflatus intumuit, necnon eò tandem veſaniæ prorupit, vt diuinam ambiret immenſæ celſitudinis maieſtatem, vt à ſuperbia ad contemptum Dei progrederetur, eò tendens vt æqualem Deo ſe crederet, nec illi ſubijci debere, nec illius ope indigere, atque diceret ſe nihili pendere, nec curare ipſum eiuſue bona: Me nihil curat, nec ego illum: ego & magnus, & potens ſum, nec illo inferior: ſuis ille vtatur bonis, ego meis mihi abundè ſufficio. Expetijt, inquit Greg. 24. moral. c. 11. vt præeſſet omnibus, & nulli ſubeſſet. immo adorari vt Deus concupiuit quemadmodum docet Rupertus Abbas li. 1. de victor. verbi Dei dicens Satanam cæteris dixiſſe Angelis ſe eſſe increatum, ſe eſſe Deum. Neque enim ſolum id cogitauit, ſed etiam allegauit ſecundum illud Ezech. 29. Deus ego ſum, & meipſum ego feci: aut vt habetur Iſ. 14. & multi Doctores ſecundum Carthuſianum ita exponunt: In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinẽ nubium, ſimilis Deo altiſſimo.

mo. Vnde & nunc in eodem, in quod cecidit, peccato perdurans voluit à Chriſto coli vt Deus Matth. 4. idemq́ue agit in gentilibus, magis, & ſimilibus. Prędictis autem, & alijs eiuſmodi Luciferi verbis permulti ex omnibus ordinibus Angeli permoti, & ſuæ pulchritudinis decorem admirantes, voluptateq́ue illius ebrij, & à diuina pulchritudine obtutus auertentes, mox diuinitatem pariter ambierunt, volentes, & ipſi dij eſſe: nempe ad ſimilem impietatem eius inducti, non quidem vt eius capiſtro ſubiecti eſſent, ſed ei conſenſerunt, vt ſolent ſeditioſi, qui ſeditioſo alicui capiti ſe ſupponunt, non quod illi ex ſe bene velint, aut meliùs quam naturali principi, ſed quia hinc ſibi maiora bona, quæ ardenti & priuato deſiderio expetunt, pollicentur. Et in hoc voluerunt ſimiles eſſe altiſſimo, vt quemadmodum ille à nullo eſt, nulliuſque ſubijcitur imperio, ſed proprio viuit iudicio, cęteriſque omnibus præſidet, ita etiam, tanquam à nullo eſſent proprio arbitratu viuerent, vniuerſaq; proprio, marte adminiſtrarent & omnino dominarentur. Itaque exorbitarunt non tantùm Lucifero conſentiendo, verum etiam excellentiam

maio-

maiorem ambiendo, ad quam cum ſe peruenire abſque ſublimatione Luciferi, qui principari videbatur, deſperarent, & ſibi, & illi ipſam vendicare concupierunt. De hac impia cōſpiratione, & Angelorum, hortatu Sathanæ, deprauatione intelliguntur iſta ſcripturæ loca. Tu populum tuum occidiſti Iſ. 14. Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo Dei. Ezech. 31. ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Iob 41. in nouo quoque teſtamento diabolus vocatur princeps dæmoniorum, & ei applicant illud Apoc. 12. Viſum eſt aliud ſignum in cælo, & ecce draco magnus, & rufus, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum, & miſit eas in terram &c. vnde Matth. 25. qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, eius ſcilicet per conſpirationis conſenſum.

CAP. II.

Continuatio de eodem.

SIMVL verò & eodem inſtanti alia longè ratio fuit B. Michaelis, & aliorum Angelorum fidelium, qui etſi deco-

rem, & pulchritudinem ſuam & inſpexerunt, & agnouerunt, non inde ſe extulerunt, aut à Deo ſe alienarunt, ſed per idem liberum arbitrium gratia Dei confortatum ſteterunt, & ei per charitatem adhęſerunt, illi ſe caſto amore ſubiecerunt, illum tanquam aſtra matutina benedixerunt, zelo contra rebelles fuerunt inflammati, eoque tam intenſo vt pleniſſimæ beatitudinis præmium, à quo in poſterum auelli non poſſent, acceperint. Adeo autem vehemens iſta fuit creatorum ſpirituum contentio, contradictio, & animoſitas, vt eo nomine factum fuerit in cælo ſpirituale prælium in terra poſtmodum vſque ad ſæculi finem duraturum. De quo Apoc. c. 12. ita enim multi illud accipiunt, & intelligunt, & gratia ſimilitudinis, & quia inter eoſdem eſt pugnatores. *Et factum eſt prælium magnum in cælo; Michael, & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neque locus eorum inuentus eſt amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur diabolus & ſathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius, cum illo miſſi ſunt &c.*

Teſtis

Teſtis huius lapſus, & victoriæ memoratur Chriſtus Dei Filius Luc. 10. *Videbam*, inquit, *Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Et Iſaias cap. 14. *Detracta eſt*, inquit, *ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo de cælo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo: In cælum aſcendam &c.* vt ſupra: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* De hoc quoque accipitur locus Ezech. 28. ſub perſona regis Tyri, id eſt, omnium impiorum: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus, & Onyx, & Berillus, Sapphirus, & Carbunculus, & Smaragdus, Aurum, opus decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata ſunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulaſti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te: in multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt inte-

riora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Et eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui, qui comedet te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te. Omnes qui viderunt te in gentibus obſtupeſcent ſuper te. Nihil factus es, & non eris in perpetuum. vide ibi Carthuſ. & alios. huc autem etiam ſpectat illud Iob cap. 4. qui ſeruiunt illi non ſunt ſtabiles. & illud Iudæ Apoſtoli. Angelis verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei ſub caligine reſeruauit, quibus ſimilia habet B. Petrus ep.2. c.2.

Cum autem de prælio loquimur, arbitrari non oportet Angelos, qui immateriales ſunt, armis indiguiſſe: ſunt enim in ſua eſſentia adeò fortes (nuda licet) vt vel vnus Angelus etiam dæmonum minimus vno mo-

momento, ceu fulgure vâſtare poſſet molem aliquam fortiſſimam,& quidem vi ſeu violentia pluſquam vlla humana. In eo ergo conflictus genere angeli non alia proferunt arma, quàm imperium,& motum ſuæ voluntatis, cum, vti in Theologia dicitur, applicatione ſuæ virtutis.

Vnde & vox in cęlo dicentium Apoc. 12. Væ terræ, & mari, quia deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet. & Iob c. 41. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei &c. In lib. 2. vitæ S. Hildegardis cap. 7. refertur, quod ipſa aliquando vidit aciem Angelorum, qui cum Michaele contra draconem pugnauerunt. Vt autem S. Michael præualeret Lucifero, qui in naturalibus donis,& viribus,omnibus erat angelis excellentior, vires ei auctæ fuerunt, eiuſq; virtus ac potentia per gratiam ſingularem. Ioannes Eckius loco præmemorato. Atque per eum modum principatus, & tam ſublimia, ac Seraphica Dei dona prîmitus Lucifero concreata, meritò ab eo fuerunt ablata, & B. Michaeli, qui in luce, & fide,ac veritate ſtetit, largiter indulta, & aucta. Vnde & hic adhuc per totum orbem dignè,

& verè honoratur; ille tanquam deceptor confunditur, & tormentis excruciatur; liuore & inuidiâ diſcinditur, & impiorum miſer dux, & ſeductor appellatur & diabolus, & impoſtor, & calumniator. Ille primus inter Seraphicos ſpiritus eſſet; hic autem vim eam perderet, & nomen dumtaxat Cherub cauſa naturalis ſcientiæ retineret.

CAP. III.

Quod primos parentes protexerit, & edocuerit.

DE victoria eius, & incrementis, ac principatu generali poſt caſum Luciferi dictum eſt. Secutus pòſt breui Adami ac Euæ primorum parentum lapſus, ex quo, dubio procul, plurimum illi debilitati, & vlterioribus diaboli technis admodum obnoxij fuerunt. Verum vt Pantaleon diaconus, & magnæ Eccleſiæ Cartophilax in narratione miraculorum maximi Archangeli Michaelis ſcribit, ab eo edoctus Adam, & præmunitus fuit: his verbis: Qui (Michael) Adam è paradiſo eiectum fraude dæmonis inimici bonorum,

rum texit, traduxit, & direxit, & eum terram ligone docuit fodere, ſeminareque, & metere, & ad reliqua, quæ vtilitatem adferebant, inſtituit; & cum benedictione, & conuenienti gratiarum actione cum ſudore ſemper pane veſceretur, effecit, vt qui ex iniuria ei contigerat lapſus per laborioſam, & Deo gratam viuendi rationem, rurſus corrigeretur. Et aliquantò poſt idem Pantaleon: Porro autem, inquit, Archangeli Michaelis ſuaſionibus, & monitis inſtructus Adam, & ligone terram fodiens, & ſudore, & labore frugaliter nutritus non fuit amplius ſeductus ab hominis inimico, & Dei hoſte, nec paſſus eſt aliam ab ipſo commotionem: Nam ab eo tempore omnino eum valde habebat odio &c. hæc ille. De Enoch verò eius operâ tranſlato, vtpote futuro eius in fine mundi inſigni cooperatore, etſi authorem non habeo, notandum tamen videtur, ſicut & de Martyrio Abel, & de Enos, qui primus cœpit inuocare nomen Domini, ac de Noë, & diluuio incluſiſque in arca figuram Eccleſiæ referente animalibus omnis generis, ac clauſo à foris oſtio, in quibus vel operam, vel miniſterium exhibuit.

CAP. IV.

Poſt diluuium quod Iſaac ab immolatione, & Iacob à fratre ſuo præſeruauerit.

QVÆ autem poſtmodum poſt diluuium,& confuſionem Babel vſque ad Abrahamum geſta fuerunt, æſtimanda relinquimus. De quo cum filium Iſaac Deo eius iuſſu incunctanter offerre vellet, idem Pantaleon: Ille autem inquit ſimul atque ei fuerat imperatum, rem exequebatur, & cum ligaſſet Iſaac, & extendiſſet manum,quæ tenebat gladium, iam guttur eius tacturam, eum repreſſit angelus Domini Michael,ſcilicet dicens,Ne immittas manum tuam in filium; nunc enim noui quod tu timeas Dominum &c. Hunc autem (ſubdit) angelum, qui patriarchæ hæc dixit, credimus apertè eſſe militiæ principem Michaelem.Verum & Iacob quoque, quem frater perſequebatur Eſau, militiæ princeps liberauit, & ſeruauit, qui etiam animum addens ne timeret eum, qui perſequebatur cum eo luctatur in nocte, & tangit eius femur propemodum dicens, Si

cum

cum angelis valuiſti luctari, quid times hominem, in quem cadit interitus. Confirmat iſtud P. Delrius in c. 32. Gen. ex Diodoro Tarcenſi Michaelem intelligens fuiſſe, nempe principem populi Iſrael.

CAP. V.

Quod populum ex Ægypto eduxerit, ac per mare rubrum, & deſertum deduxerit quodque Dathan, Abiron, & Core punierit, & Baalam in via corripuerit.

PERGIT idem author dicere, quod Deus ad liberandum ex Ægypto genus Iſrael, elegit Moyſen famulum ſuum, & per ipſum Archangelum Michaelem eum conſtituit ducem totius generis Abrahæ, vt eos educeret de terra Ægypti, & per mare rubrum, tanquam per terram ſiccam eos tranſmitteret Michaele Archangelo parante viam ante ipſum. Hæc ille generaliter. Sed iuuat eam hiſtoriam diffuſius rememorare. In liberatione enim populi ex Ægypto duo ſunt ſignanda, & quod præceſſor, ſeu præcurſor & cuſtos, & inductor ſit datus Michael Archangelus; & quod Moyſes

Moyſes ductor ſit datus. De vtroque habemus Exod. 32. Tu autem vade, & duc populum iſtum quò locutus ſum tibi: Angelus meus præcedet te. Id quod dictum fuit poſt reatum vituli adorati. Sed Exod. c. 14. habetur: Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abijt poſt eos &c. & c. 33. Mittam præcurſorem tui Angelum; & ante c. 23. plenius de eo loquitur Dominus ad Moyſen dicens: Præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhęum, & Hethæum &c. Terrorem meum mittam in præcurſum tuum. Et paulò ante, obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris & eſt nomen meum in illo. Hunc autem, inquit Æſtius, fuiſſe Michaelem, qui nimirum toties Domini perſonam repræſentans populum deduxit, & facie ad faciem ſæpius cum Moyſe collocutus fuit, oſtenditur ex epiſtola Iudæ, quia Michael tanquam Angelus illius populi contendit de Moyſi corpore, pro ſalute populi, quem cuſtodiendum ſuſceperat. Hinc Angelus ad Danielem eius libri c. 10. Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his niſi ſuam promittens aſſiſtentiam Michael Princeps veſter.

Idem

Idem nimirum ille princeps, qui Ioſue 5. dicebat: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini,& nunc venio. De eodem Angelo Stephanus in ſua oratione Act. 7. Apparuit, inquit, illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi &c. Hunc (Moyſen) Deus principem,& redemptorem miſit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina &c. Huc quoq; oportunè referendum eſt illud Exod. 13. Dominus autem (id eſt, Angelus Domini perſonam repræſentans adeoque nomen eius gerens iuxta illud: Et eſt nomen meum in illo) præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt eſſet dux itineris in vtroque tempore: neque defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo. Ecce quanta in illo vigilantia, ſedulitas, & aſſiduitas: nihil autem eo actuoſius. His ſimile eſſe arbitror, quod Eccleſiæ gubernatio (de qua poſtea) principem habet B. Michaelem Archangelum, & primatem S. Petrum. Vnde colligi poteſt id Æthiopiam Eccleſiam

ſen-

ſenſiſſe, in qua vtrique eſt templum, illi virorum, huic mulierum ſecundum Damianum. Sed vt cætera proſequamur, mirum eſt, quod idem author Pantaleon non expreſſit, quod Latini non tacēt, per ipſum in Ægypto multis plagis afflictum fuiſſe durum Pharaonem, & tandem in mari cum ſuo toto ſuperbo exercitu oppreſſum, quodque populum præceſſerit per deſertum, & gentes è terra promiſſionis eiecerit. Licet enim inquit Eckius, ibi nomen Michaelis non exprimatur, tamen is fuit, vel ab eo commiſſus. de quo nimirum Exod. 12. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumq; viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere. Item in hymno Eccleſiæ: Protecti Paſchæ veſpere à deuaſtante Angelo, erepti de duriſſimo Pharaonis imperio. Sed & huc pertinent, quæ ſcribuntur de horrendis pœnis Dathan, & Abiron, atque Coræ cum alijs, quos ob murmurationem, & atroces ſuperbaſque quærimonias incurrerunt. de quibus Num. 16. & S. Paulus 1. Cor. 10. Neque murmuraueritis, inquit, ſicut quidam eorum

rum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, id eſt, Michaele, vt ab Eſtio, & alijs pleriſque exponitur ſecundum illud Exod. 23. Ecce ego mittam Angelũ meum, qui præcedat te, obſerua eum, & audi vocẽ eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris &c. Idem quoque angelus eſt, ait Pantaleon, qui à ratione alienum vatis Balaam prohibuit impetum terribili ſuo aduentu, quem etiam, cum vidiſſet aſina, rationis participe voce ſenem amentem correxit: alliſit enim aſina pedem eius ad parietem & eum ſe flagellantem arguit aſina humanâ voce oſtendens terribilem angeli viſionem. Balaam autem cum aſpexiſſet ſplendorem, qui ex eo emicabat, valde territus dixit: parce mihi, parce mihi Domine, nam ignorans peccaui. Fuit & idem miniſter, inquit, diuinæ legis, quæ data fuit in monte Sina: erat enim dux populi Iudæorum, eumque præcedebat, & deducebat. Vide quæ dicta ſunt cap. 4.

Digitized by Google

CAP. VI.

De pugna eius cum diabolo pro Moyſi corpore.

SEd & apertè ſcriptura interueniſſe Michaelem hoc rerum ſtatu oſtendit in corpore Moſis, cum is eſſet mortuus; vt diuiniſſimus Iudas Apoſtolus frater Domini dixit in catholica ſua epiſtola: Michael autem Archangelus quando contendens cum diabolo diſſerebat de corpore Moſis, non auſus eſt efferre iudicium blaſphemiæ, ſed dixit ei, Increpet te Dominus. Quid autem cum diabolo diſſereret militiæ princeps Michael, ſciemus: Conabatur hoſtis, & inimicus, & prophanus diabolus cum ſumma impudentia, & contendebat in deceſſu Moſis, qui Deum eſt maximè contemplatus efficere, vt eius corpus redigeretur ſub poteſtatem interitus; vt nullus videret bonum ſignum in futurum ad humanam eſſentiam. & ideo dicebat tenebricoſus Satan luminoſiſſimo Dei principi Michaeli Moſen feciſſe cędem Ægyptij, & alias in eum confingebat calumnias

lumnias, & criminationes. Superbo ergo, & iactabundo maligni animo reſiſtens Michael Archangelus,& contradicens,& nunc hoc, nunc illud reſpondens ad ea confutanda,quæ ab illo dicebantur improbè,poſtremò eius videns inſignem impudẽtiam, eum increpauit dicens, Increpet te Dominus, ideſt,te ô diabole perdat Deus.Statimque, inquit,diſceſſit ſceleratus aduerſarius. Corpus autẽ abſcõdit Moſis Michael princeps militiæ , ne ſi illud inueniſſent Iudæi, tanquam Deum adorarent qui ne belluis quidem pepercerunt. Hactenus ex Pantaleone. Blaſius Vegas in c. 12. Apoc. Celeberrimum eſt, inquit,de S. Michaele,quod cum diabolo diſputaſſe dicitur de Moyſi corpore in Epiſtola Iudæ. Eſt autem ſenſus diabolum voluiſſe corpus Moyſi reuelari, vt Hebræos ad illud adorandum, atque adeò ad idololatriam incitaret. Quod tamen Michael paſſus non eſt. Replicandum autem illud eſt, quod ſcribitur Deut. 34. Aſcendiſſe Moyſem de cãpeſtribus Moab ſuper montem Nebo in vertice Phaſga contra Ierico ibique mortuum iubente Domino in terra Moab, Sepultumque in valle terræ Moab contra Phogor, Sepul-

chrumq; eius in præſentem diem ignorari. Inde enim, vt vult Caietanus, innuitur corpus eius viſibiliter fuiſſe tranſlatum à loco in quo obijt, ad vallem, in qua ſepultus eſt: alias enim neſciretur vtrum in monte, an in valle ſepultus fuiſſet. Quare procul dubio viderunt multi corpus ad vallem afferri, ſed incognitus tamen manſit locus in quo Angelorum miniſterio fuit repoſitum. Ex hoc, inquit, Iudæ teſtimonio, duo habemus Michaelis encomia clariſſima. Vnum eſt Michaelem pro nominis, & officij ſui ratione omnem idololatriæ occaſionem amputare voluiſſe atque idcirco noluiſſe ſepulchrum Moyſi reuelari: Eſt enim proprium eius munus pro Dei honore in campum deſcendere, vnde in ſuis vexillis militaribus illud inſcriptum gerit, Quis ſicut Deus. Alterum eſt exemplo ſuo docuiſſe quatenus fugiendum eſſet, non dico blaſphemiæ, ſed ipſum etiam maledicentiæ crimen. Huius enim rei gratia Iudas factum præcedens de Michaele commemorauit, quod ne ipſi quidem dæmoni maledicere auſus fuerit, eo quod nimirum tanquam rem execrandam, maledicentiam & imprecationem refugerit. Eadem aduertit

Eſtius

Eſtius in dictam B. Iudæ epiſtolam, eandemque prælij iſtius angeli rationem ponit. Verborum verò Archangeli (Increpet te Dominus) alium à Pantaleone & textui conformiorem adfert ſenſum, hunc videlicet: Deus te coerceat, & conatum tuum prohibeat: hoc enim non eſt maledicere, ſed tantum imprecari à Deo mali conatus impedimentum. Ita ibi Eſtius.

CAP. VII.

Quod duci Ioſue in campo Ierico apparuerit, & per eum vrbem illam, ac viginti nouem reges deuicerit.

QValiter autem princeps Archangelus cætera ſit proſequutus, ordine ſic & iſtis verbis exponit Pantaleon. Sed & is quoque, inquit, etiam poſt diſceſſum diuini Moſis cum Ieſus Naue diuinitus in populum Iſraelitarum obtinuiſſet imperium, & eum duceret in terram promiſſionis, & ſtruxiſſet aciem contra aduerſarios, & de committendo prælio differeret, viſus eſt ei tanquam fortiſſimus miles militiæ princeps Michael ſtans omnino ere-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

erectus, læto vultu, & veſte inſignis, eratq; ſtrictus gladius in manu eius. Accedens verò Ieſus, qui erat armatus, ei acerbè dixit, vt eſt veriſimile: Noſter es, an aduerſariorum? præclarus enim tuus, & varius aſpectus incitat me, vt te interrogem. Dic ergo mihi ocius priuſquam te cæſum aggrediar: Non enim conuenit, vt acie relictâ in diſcrimine, ego te pergam alloqui: Arbitror enim te venire nos ſpeculatum. Sin autem veniſti transfuga, abiecto hoc tuo micante gladio ſis cito nobiſcum, & liberare ab exitio, quod impiæ vrbi Ierico imminet. Sin autem es noſter cur ſolus ſtas extra aciem, quæ verſatur in certamine. Dic mihi autem ociſſimè: ego enim ex lingua Hebraicâ te agnoſcam. Hæc cum interrogaret Ieſus Naue, reſpondit ei Michael magnus ductor Dei ordinum: Ego præcipuus dux copiarum Domini nunc acceſſi. Protinus autem abiectis armis ſuis Ieſus Naue, humi cecidit in terram, & eum adorauit, dicens: Domine, Domine quid imperas tuo famulo: Nam ego quoque ſum tuus famulus ſicut etiam Dominus meus Moſes. Tu mecum quoq; duc exercitum, me perpetuò ſicut illum corroborans: Ecce enim aduerſus

ſus hoſtes fortiter direxi aciem fretus inui-ctis tuis viribus, per quas ſæuus, & immanis Pharao colligatis ſimul curruum axibus, vt mari funditus obrueretur, effeciſti, & qui Dominum meum Moſen in viâ obſiſtendo impedierunt, impios Moabitas ad internecionem deleuiſti. Quid imperas famulo tuo Domine? Sanctiſſimus autem princeps Dei militiæ dicit ei. Solue calceos de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, eſt ſanctus. Quod cum ſtatim factum eſſet, iuſſit vt audacter inuaderet vrbem illam ſeptem muris circundatam, & inexpugnabilem, & ſimul atque inuaſiſſet, cum ſeptem ſacerdotibus tubâ canentibus, eam ad ſolũ vſque diruit admirabiliter, & eam totam cum omnibus ædibus, & diuitijs excuſſit; vt qui eam domino tanquam conſecratum donarium, & prædæ primitias obtulerit. Deinde ſic poſtea viginti & nomen reges, præter vrbem Iericho, cum eorum exercitibus, & vrbibus Ieſus Naue filius conſumpſit non habens ciuitatem, non vllam belli ſedem, non milites, qui vllam haberent belli peritiam, ſed diuino nutu, & auxilio maximi ducis omnium cœleſtium poteſtatum. Hæc Pantaleon. Vide lib. Ioſue c.

 5.&

5. & c. 1. vbi. Noli metuere, & noli timere quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Neque myſterio caret quod hæc tam celebris apparitio facta fuerit poſt circumciſos Iſraelitas tranſmiſſo ſcilicet Iordane, & phaſe celebrato: Nam munditiæ, cultu, ac honore Dei delectantur angeli. Quare quęcumque admirabiliter, & ſupernaturali robore à Ioſue, ſeu Ieſu Naue leguntur geſta viginti & nouem regibus obtritis, vt ex ſuperioribus oſtenſum fuit, ad Archangeli opem, & protectionem, eſt referendum.

CAP. VIII.

Quod iudices deinceps direxerit, & cur gentes inimicas non ſtatim omnes deleuerit; quodque Gedeoni, ac parentibus Samſonis apparuerit.

POſt mortem autem eius, & ſub iudicibus vſque ad reges Iſraelitas populo datos nihilo ſegnior fuit Archangeli gubernatio: Nam apud homines quidem eſt inuenire principes ignauos, inertes, deſides, malè affectos, trepidos, otio, &

tor-

corpori deditos aut animo fractos. In Angelos verò nihil tale, ſed omnia his contraria reperiuntur: Miniſterium enim ſine omni culpa præſtant. Quale autem eſt Dei regimen in miſericordia & iuſtitia, tale etiam eſt Michaelis, & angelorũ, qui vnius ſunt moris in domo. Et ex Iudicum cap. 3. videre eſt profundum cœleſte conſilium, quo ad exercitium populi plurimas gentes ſub iugum non miſſas inter Iſraelitas dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi, & in ipſis experiretur vtrum audirent mandata Domini an non? Itaque vt omittam victoriam, quam habuit Aioth dux Iſrael ille ambidexter, & inſignis propheriſſa cum Barach de qua in eius cantico habetur: De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt: De Gedeone, qui, & Ierobaal dicebatur, eſt dicendum. Cum enim populus ſeptem annis, vt habetur c. 6. oppreſſus fuiſſet à rege Madian, & clamaſſet ad dominum poſtulans auxilium contra Madianitas, miſſus fuit pro-

propheta,qui ei liberationis beneficium ex Ægypto, & terræ promiſſionis datæ rememoraret. & vt in eodem c. Venit autem Angelus Domini (Michael ſcilicet, cuius miniſterio tam victoriosè populus eductus fuerat de Ægypto, & in terram gentium introductus per mare rubrum, & Iordanem) dicens Gedeoni: Dominus tecum virorum fortiſſime. cui & quod populum liberaturus eſſet, nunciauit, & (breuiter) vt fidem eius rei faceret,ſuper oblata extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ (nota)quam tenebat in manu,& tetigit carnes, & panes azymos. Aſcendenſque ignis de petra, ea conſumpſit, & Angelus Domini euanuit ex oculis eius, ac deinde & alia ſigna petenti perfecit; & cum paucis,nempe trecentis vt præliaretur, admonens, terrorem tantum hoſtibus immiſit vt centum viginti millia eorum caderent , occiſis Oreb, & Zeb, eorumque capitibus amputatis.

Ad eundem Archangelum referimus, & quæ c. 13. Iudicum de ortu, & vitâ Samſonis,& conſequenter referuntur: apparuit enim vxori Manue Angelus Domini habens vultum angelicum terribilem nimis.

Et

Et rogatus de nomine: Quid, inquit, quæris nomen meum, quod eſt mirabile, & de ortu & vita, ac educatione naſcituri Samſonis plurima inculcans: Ipſe, ait, incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum. Patet autem, quod ea cura, & deſiderium Michaeli Archangelo ſit proprium, etiam ex Daniele, & Zacharia prophetis.

CAP. IX.

Quod & quare duodecim tribus contra vnicam tribum Beniamin cadere, & arcam fœderis in manus hoſtium venire permiſerit & Saulem abiecerit.

CVR autem in pugna duodecim tribuum contra vnicam tribum Beniamin malè rebellantem, bis ſuccumbere, & graui internecione affligi vndecim illas tribus, in bona licet cauſa, ipſe ſynagogæ princeps, exiſtens, & protector permiſerit, ratio eſt, quia (vt c.20.verſu 22. indicatur) in ſua multitudine, & viribus confidebant. Item quod à Philiſthæis arca fœderis intercepta fuerit, peccatis populi, & filiorum Heli eſt aſcribendum. Sed quod

apud hoſtes multis miraculis, & idolorum ruina triumphauit & honorificè, ac cum muneribus reſtituta fuerit, intelligi poteſt non ſine nutu principis ſynagogæ accidiſſe. Noluit vt Heli magis honoraret filios ſuos, quam Deum. Porro arca fœderis erat ſignaculum, & iocale præcipuum totius ſynagogæ. De Samuele dici multa poſſent. De Saule verò quomodo bonus ei ſpiritus datus fuerit, & poſtea, quod dicto domini obediens non eſſet, is ab eo, iudicio Dei, ablatus fuerit, facile eſt colligere illum & à principe Archangelo fuiſſe reiectum.

Quod autem Goliath ſuperbiſſimus gigas ab eodem humi quoque ſtratus fuerit non mirum: is enim arroganter admodum exprobrauerat agminibus Iſrael, & in dijs ſuis quaſi potentioribus maledixerat contra ſe venienti puero Dauid, qui id ferre nullatenus valens, ex bono Dei zelo, vt ſciat, inquit, omnis terra, quia eſt Dominus Deus in Iſrael: ipſius enim bellum &c. Hanc expoſitionem, ne quis in ſimilibus hæſitare velit, Pantaleon his verbis ediſſerit: Erat enim, inquit, militiæ princeps, qui etiam in Goliath ponè eſt iaculatus, & eum pronum proſtrauit, quando diuina funda fuit

per-

percuſſus, Deo parentis Dauid. Niſi enim Angelus Domini eum ponè percuſſiſſet, ſupinus in fronte accepto vulnere cecidiſſet; Hæc ille. Conſentit Ioſephus lib. 9. antiq. c. 11. Huic Dauid, inquit, impigrè occurrit, occultum adiutorem Deum ſecum in certamen ducẽs. De reliquis autem eiuſdem Dauid glorioſis victorijs, & quomodo quod Samſon cœperat, ipſe perfecit, domando, & ſubiugando perfidos Philesteos, idem author Pantaleon non exprimit, cum tamen identidem verum ſit quod in omnibus ductor exercituum cœleſtium illi ſit opitulatus.

CAP. X.

Ab ipſo populum peſtilentia ſub Dauide percuſſum fuiſſe.

ILlud tantum addemus ex li. 2. Reg. 24. Eundem fuiſſe Angelum percutientem, à quo peſtilentia ſæuiente occiſa fuerunt in populo ſeptuaginta millia virorum. Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Ieruſalem vt diſperderet eam, miſertus eſt dominus ſuper affli-

afflictionem & ait angelo percutienti populum: Sufficit nunc, contine manum tuam. Erat autem angelus iuxta aream Areuna Iebuzei. Simile quid accidiſſe ſub Gregor. Magno Papa, ſuo loco dicemus. Quod & ſancto Michaeli (de quo nimirum Dominus Exo.23. Non dimittet cum peccaueris &c.) romana traditio aſcribit. Notandum autem hîc, & in locis ſimilibus per Angelum Domini antonomaſticè intelligi Michaelem in ſcripturis.

CAP. XI.

De Dauide deinde poſt peccatum commiſſum pænitente ita Pantaleon.

QVin etiam, inquit, poſtquam venit in mentem Dei parenti & regi Dauid facti ab eo peccati, & egregiam illam compunctionem, & pœnitentiam citò oſtendit, cum qua flens ex profundo corde clamauit, Peccaui Domino. Poſtquam vidit propheta Nathan Angelum, qui erat paratus, receſſiſſe dixit diuino Dauidi: Dominus quoque abſtulit peccatum tuum, non morieris: magnam, & ineffabi-

lem

lem Dei bonitatem & annuncians, & eum conſolans. Vbi Pantaleon vel reſpicit ad 2. Reg. cap. 24. & ibi non (quod ex verbis ipſis verius apparet) Nathan, ſed Gad propheta ad Dauidem mittitur: vel ad 2. Reg. c. 12. & ibi angelicæ apparitionis nulla ſit mentio; quanquam fortè & angelum ibi prophetæ apparuiſſe, vti & Danieli ſenes dijudicanti, licet ſcriptura non exprimat, probabiliter dici poſſit.

CAP. XII.

De receſſu, paſtu, & raptu Heliæ per ipſum.

DE receſſu autem Heliæ, & paſtu eius, ac raptu in curru igneo alijſque ope archangelica mirabilibus geſtis, habetur tertij Reg. c. 17. & ſequentibus vſque ad c. 3. l. 4. Et factum eſt (inquit ſcriptura c. illo 17.) verbum Domini ad eum (Heliam Thesbyten) dicens: Recede hinc & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi. Abijt ergo, & fecit iuxta

ta verbum Domini, cumque abiiſſet, ſedit in torrente Carith qui eſt contra Iordanem: Corui quoque deferebant ei panem,& carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi, & bibebat de torrente &c. Hæc autem & ſequentia angeli ſui miniſterio dominum diſpoſuiſſe & peregiſſe, apertius indicatur infra c. 19. vbi dicitur, Timuit ergo Helias, & ſurgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas, venitque in Berſabeæ Iuda, & dimiſit ibi puerum, & perrexit in deſertum viam vnius diei. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam Iuniperum, petijt animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi domine,tolle animam meam&c.proiecitque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi: Et ecce angelus domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo,& bibit,& rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt angelus domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, & comede: grandis enim tibi reſtat via.

Angelum autem iſtum domini fuiſſe Michaelem Archangelum qui nimirum, & Iacob Patriarcham à facie fratris ſui Eſau timen-

timẽtem, & Ioſue, & Gedeonem, alioſque, vt ante dictum eſt, animauit, & confortauit, non eſt cur inficiemur. Præſertim cum Helias propheta magnus, vt ipſe, honoris Dei zelator & propugnator fuerit, ope ſcilicet, & inſtinctu ſancti eiuſdem Archangeli. Vnde poſt occiſos Prophetas Baalim, poſt durè, & ſæpius correptos regem Achab, & Iezabel, in lib. 3. Reg. capitibus præallegatis & c. 1. libri ſequentis ita dicitur: Angelus autem Domini locutus eſt ad Heliam Theſbyten dicens: Surge, & aſcende in occurſum nunciorum regis Syriæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? quamobrem hæc dicit dominus: de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris &c. Et ibidem poſtea ad quinquagenarios à rege miſſos, ac dicentes: homo Dei, rex præcepit, vt deſcendas: Si homo Dei ſum, inquit, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Et ad alterum quinquagenarium locutus eſt ſimiliter, fueruntque ambo ab igne de cælo deſcendente cum ſuis omnibus, vt ibi dicitur deuorati. Tertius verò quinquagenarius cum veniſſet, cur-

uauit, inquit ſcriptura, genua ſua contra Heliam; & precatus eſt eum &c. (Deum ſcilicet, verum, eiuſque famulum honorans) & idcirco monente angelo domini pepercit ei Helias, & deſcendit cum eo ad regem. Raptus porro Heliæ prophetæ deſcribitur eiuſdem l. 4. c. 2. qui cùm pallio ſuo diuiſis aquis Iordanis per ſiccum tranſijſſet cum Helizæo, & ambo pergerent, & incedentes ſermocinarentur, Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Helias per turbinem in cælum. Helizæus autem videbat, & clamabat. Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Et non vidit eum amplius. Quis autem dici poteſt veriùs auriga Iſrael, quàm eius protector S. Michael, & qui Helia propheta adiutore Antichriſtum in fine ſęculi eſt oppugnaturus cum Enoch. Vnde & S. Greg. Helias, inquit, in curru legitur aſcendiſſe; vt videlicet apertè demonſtraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per angelos quippe facta illa & oſtenſa ſunt adiumenta, quia nec ad cælum quidem aëreum per ſe aſcendere poterat, quē naturæ ſuæ infirmitas grauabat. Homil. 29. in Euang. Idem autem angelus Enoch tranſ-

tranſtulit, & Moyſen Heliæ in transfiguratione domini ſocium, nec diſſimilem diuinæ legis relatorem ſepeliuit, vt ſupra diximus.

CAP. XIII.

Eum circa populum Dei caſtrametari.

BLaſius Viegas in Apocal. Primum, inquit, de Michaele accipiendum eſt illud Pſalm.33. Immittet angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.quo loco,pro, Immittet, 70. tranſtulerunt, caſtrametabitur. & Hieronymus ex Hebræo vertit: Circumdat in gyro. vt opponatur S. Michael dæmoni, qui etiam dicitur tanquam leo rugiens circuire. Itaque ſignificatur Michaelem angelos in morem exercitus inſtruere ad fidelium defenſionem. Quod enim inſtar militum nos tueãtur,oſtendit ille locus Gen.32.vbi cum Iacob angelos vidiſſet, dixit, Caſtra Dei ſunt hæc. & 4. Reg. 6. Mons erat plenus equorum & curruum in circuitu Helizæi. & Chriſtus Matth. 26. An putas, quia non

poſsũ rogare patrẽ meũ,& dabit mihi modo pluſquã duodecim legiones angelorũ? Eſt igitur Michael ſupremus pro Deo imperator, ſicut Lucifer dæmonũ. Nam quod dæmones etiam in modum exercitus ordinentur contra homines, Tertul. l. 4. c. 20. contra Marc. ex verbis illis Lucæ 8. oſtendit, vbi dæmon quæſitus à Chriſto, quodnam ſibi nomen eſſet, reſpondit, Legio, quod nomen, vti diximus, militare eſt &c. ibi latè.

Sanè qualis ſit iſta panoplia & militia cœleſtis, ipſe vates Helizæus, prout habetur l. 4. Reg, cap. 6. famulo ſuo oſtendit, cui cùm manè in circuitu ciuitatis Dothain, in qua morabatur exercitus regis Syriæ, & equos, & currus vidiſſet, timenti: Noli inquit Helizæus, timere: plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Helizæi. Eius autem militiæ quantus ſit vigor, capite ſequenti indicatur. vbi rex Syriæ Benadab, qui ciuitatem Samariæ arctiſſimè obſidebat, & ad eam extremitatem, inopiamque redigebat, vt matres ab infantum æſu non abſtinerent: memora-

tur

tur cum toto ſuo exercitu in fugam ſe conieciſſe: ſiquidem dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi. Sunt & in Daniele, & Ezechiele, ac Apocalypſi de hac cœleſti militia permulta quæ videri potetunt. & de quibus Chriſtus pluſquam duodecim legiones ſibi dandas ſi patrem ſuum rogaret, aſſerebat.

C A P. XIV.

Quod caſtra Aſſyriorum interemerit.

SEquitur apud Pantaleonem: Iam verò cum execrandus, ait, Sennacherib rex Aſſyriorum plurimas gentes redegiſſet in ſeruiturem, & multas Iudęæ inimicas cœpiſſet ciuitates; venit, & circumdedit Ieruſalem cum maximis copijs, & ſtatuit Rapſacen ſæuiſſimum ſuum ducem ad piſcinam viæ ſuperioris, & clamauit Hebraicè ad Ezechiam, & Iudæos, qui erant in ciuitate, blaſphema verba, dicens & Satanica: Hęc autem dicit vobis rex magnus Aſſyriorum: Quæ eſt hæc fiducia, qua confiditis quod dicitis, in Dominum Deum con-

confidimus. Egredimini ad dominũ meum potentem regem Sennacherib, & viuetis & non moriemini, & comedet vir ficum ſuam, & vitem ſuam bibet: & accipiam ex vobis in terram meam, & glorificabo valde, & magnificabo. Et ne audiatis Ezechiam, quia vos decepit dicens; Dominus nos liberabit, num liberantes liberarunt dij gentium vnuſquiſque ſuam regionem, à manu regis Aſſyriorum. Hæc cum audiſſet Ezechias, induit ſaccum, & ingreſſus eſt in domum, & fleuit vehementer dicens: Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubin, & in orbem circumdaris, & glorificaris à Seraphin, & ab omnibus Sanctis Angelis, tu Deus ſolus in omnibus regnis terræ: tu feciſti cælum, & terram, & omnia, quæ ſunt in eis. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide, & attende ſermones Sennacherib, qui miſit exprobrans Deum viuentem: quoniam in veritate, Domine, deſertas reddiderũt gentes reges Aſſyriorum & nunc domine Deus noſter, ſerua nos à manu eius & cognoſcẽt omnia regna terræ, quod tu es dominus Deus ſolus. Et egreſſus eſt angelus domini nocte illa, & interfecit ex caſtris Aſſyriorum

rum centum octogintaquinque millia. & cum mane ſurrexiſſent, inuenerunt corpora mortua. & dum auerteretur, & fugeret Dei hoſtis Aſſyrius Sennacherib, eum interemerunt duo filij eius, grauiter gladio cum permanſiſſet nullâ ductus pœnitentia. Cuius autem fuit hoc ſtupendum, præclarumque, & admirabile facinus, & potentia? Nonne omnium regis domini Sabaoth Principis copiarum Michaelis? qui non viſus duxit exercitum & aduerſarios temporis momento ſuo gladio apertè condit, in auxilium, & cuſtodiam ſuorum, qui ſpem ſuam collocarũt in Deum viuum vltionum, & qui ſolus poteſt ſaluare &c. Hactenus Pantaleon.

Viuebat eo tempore Iſaias inſignis propheta, is ſcilicet qui 14.c. ſuæ prophetiæ de caſu Luciferi narrationem fecit, de qua ſupra prolixè tractauimus. & c. 36. de hac eadem, Sennacherib hiſtoria.

CAP. XV.

Quod Suſannam per Danielem, & tres pueros liberauerit.

SEcuta eſt tranſmigratio filiorum Iudæ in Babyloniam ſub rege Nabuchodonoſor. In ea quid Daniel puer adhuc exiſtens geſſerit, ſic ſcribit Pantaleon: Eundem, ait, maximum militiæ principem videt etiam Dei ſummus contemplator propheta Daniel, arguens ſceleratos qui aduerſum caſtam Suſannam inſanierant, & dicit alteri eorum, expectat angelus Dei iam tenẽs gladium vt ſecet te medium. Daniel. 13. Idem loquens de tribus pueris. Hi, ait, ſoli viri pij, etiamſi planè infantes abducti eſſent in captiuitatem, Dei timorem ſemper habentes, non cum ſui generis Pontificibus Scribis, & Phariſæis eò deducti ſunt, vt colerent Deos qui non ſunt, neque regium illum iuſſum timuerũt, ſed in Deum viuum, qui dat ſalutem, confidentes, cum ducti eſſent ad Tyrannum, audacter dixerunt. Notum tibi ſit rex, quod Deos tuos non colimus, & imaginem auream, quam poſuiſti,

ſti, non adoramus. Tunc Nabuchodonoſor rex in ira, & furore iniecit Ananiam, Azariam, & Miſael in fornacem ignis ardentem. Dei autem Angelus, Michael ſcilicet, ſimul cum eis deſcendit in fornacem, & nec quidem omnino eos tetigit ignis, ſed excuſſit angelus flammam fornacis, & tranſijt ignis circum circa, & combuſſit viros omnes, qui ipſos iniecerant, hoc eſt, administros regis. Tunc tres tanquam vno ore lætantes laudabant, & benedicebant, & ſolum Deum glorificabant. Rex autem audiuit ipſos Deum laudantes in medio fornacis, & cito ſurgens dixit magnatibus ſuis: Nunc tres viros vinctos iniecimus in medium ignis, & aſpectus quarti eſt ſimilis filio Dei. Tunc cum rex eos accerſiſſet, egreſſi ſunt illæſi. Cum autem diuini pueri egreſſi eſſent abſque vlla læſione coram eis adorauit rex, & dixit: Benedictus dominus Deus Sidrac, Miſac, & Abdenago. qui miſit angelum ſuum, & eripuit pueros ſuos ex igne fornacis ardentis. Tunc rex conſtituit eos principes, & maximo eos honore affecit cum propheta Daniele. Pulchrè reuera diuinus cantor Dauid pſallit. Caſtrametabitur angelus domini in circuitu timentium

tium eum, & liberabit eos. Pergit idem Pantaleon.

CAP. XVI.

Quod Danieli in lacu leonum adfuerit, & ad eum Abacuc portauerit.

SImile autem rurſus miraculum oſtendit Deus admirabilium per glorioſum Archangelum ſuum Michaelem in famulo quoque ſuo Daniele iniecto in lacum leonum. Nam poſtquam regnauerunt reges alij à Nabuchodonoſor, diligebatur ab omnibus ſapientiſſimus Daniel; vt qui ex Deo ſomnia conijceret. Babylonij autem inuidia moti inſurrexerunt eo tempore aduerſus Cyrum, qui tunc apud eos regnabat, ſicut prius aduerſus Darium, & dicunt ei: Rex da nobis vt morte afficiamus Hebræum Danielem, quoniam Bel Deum noſtrum contriuit, & venerandum draconem interfecit, & ſacerdotes, & incantatores noſtros occidit. Sin minus te, & domum tuam, vt Iudaizantem interimemus. Cum verò vidiſſet rex, quod eum valdè vrgerent, coactus tradidit eis Danielem: illi autem iniecerunt eum in lacum leonum,

& fuit

& fuit ibi ſex dies. Erant autem in lacu ſeptem leones; occluſit verò Archangelus Michael ora leonum, & non moleſtia affecerunt Danielem, neque attigerunt omnino corpus eius. Cum verò veniſſet rex ſeptimo die, vt lugeret Danielem in lacu, inuenit ſalua, quæ fecerat ſignacula, & lacu aperto videt Danielem ſtantem rectum, & manus habentem extenſas, & Deum laudantem, & dicentem. Benedictus es Deus, qui miſiſti angelum tuum, & obſtruxit ora leonum, & mihi non nocuerunt. Tunc rex citò cum gaudio Deum glorificans ſuſtulit Danielē è lacu illæſū & adorauit eum, viros autē, qui Danielē accuſauerāt, iniecit in lacū leonum. Non prius autem fuerunt in ſolo lacus, quàm eos inuadentes leones deuorarunt, & omnia oſſa eorum tanquam in puluerem comminuerunt. Hic ergo vir deſideriorum Daniel ſanctiſſimum Archāgeli nomen oſtendit, quod vocaretur Michael, id eſt, dux Dei exercitus, vt qui hoc myſterium acceperit ab alio angelo. Porro verò (pergit) Abacuc quoque propheta erat in Iudæa. Ipſe autem ceperat pulmentum, & panes intinxerat ad nutrimentum & ibat vt ferret ſuis meſſoribus. Angelus autem

autem domini apprehendit verticem Abacuc, & impetu ſui ſpiritus eum portauit à Iudæa Babylonem cum lentis alimentis, & intulit ipſum angelus in lacum leonum non ſolutis illic ſignaculis, comeditque Daniel ſeruus domini, & lætatus eſt. Et rurſus idem Angelus Michael reſtituit confeſtim Abacuc in locum ſuum nihil ei impedimenti adferens, quò minus eadem hora veniret, & eodem cibo meſſores ſuos copiosè aleret. Pape! quanta eſt diuini Archangeli pernicitas!

CAP. XVII.

Quod Ezechielem aſſumpſerit, & in Hieruſalem deduxerit.

VAlidiſſimo quoque (idem Pantaleon conſequenter) ſuo impetu diuino nutu ſimiliter alias aſſumpſit prophetam Ezechielem: vt dicit ipſe Ezechiel in ſua prophetia: Et aſpexi, & ecce ſimilitudo viri à lumbis ſuis, & inferius ignis, & à lumbis eius, & ſuperius tanquam viſio electri, & accepit me à vertice in ſpiritu ſuo, in medio cæli, & terræ, & deduxit me

me in Ieruſalem. Hæc Pantaleon, qui id ex 8. cap. Ezech. deſumpſit, vbi multa ediſſeruntur de peccatis, & excidio ciuitatis Hieruſalem. quibus addi poſſunt, quæ c.40.de reædificatione ciuitatis, & templi Hieroſolymitani & deſcriptione, ac menſuratione habentur: ibi enim per menſorem D. Michaelem intelligi, probabiliter docet Villalpandus, idemq́ue ſenſit ab eo citatus Rabbi Dauid: & fauet ratio, cum ædificium illud totam Eccleſiæ conſtructionem, formam, ac ſplendorem figuraret, & res maximi eſſet momenti; adeo, vt SS. PP. Hieronymus ibi & S. Gregor. lib. 2. in Ezech. hom. 12. menſorem iſtum Chriſtum ipſum fuiſſe dicant, verum Eccleſiæ conſtructorem, & authorem, id eſt, Angelum ea in re perſonam Chriſti gerentem.

CAP. XVIII.

Nomen Michaelis vnde primò cognitum, & de pugna eius contra principem Perſarum.

PORrò primus, qui nomen Michaelis ſcripto expreſſit, idem eſt Daniel propheta. Nempe c. 10. Legitur tamen

& vnus

& vnus ex filijs regis Ioſaphat Michael dictus 2. Paralip. 21. ſed is angelus non fuit, nec propheta. Id autem nomen Danieli viro deſideriorum, & magno principi ipſe Archangelus Gabriel reuelauit. Antea enim angelus domini dictus reperitur. Nempe qui pro domino fortiter ab initio ſtetit, & ab eo ſupra omnes principatum accepit, & gratiam quoque & gloriam. Et à matre Samſonis rogatus nomen ſuum prodere, Quid quæris, inquit, nomen meum quod eſt admirabile? verè admirabile, quia ex admirabili eius contra Luciferum triumpho, & victoria id conſecutus. Non ſolum autem nomen ex Danielis prophetia cognitum habemus: verumetiam multa alia præclara. Nam c.10. Archangelus Gabriel: Ego veni, inquit ad Danielem, propter ſermones tuos: princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, Et ego remanſi ibi ſolus iuxta regem Perſarum. Item, Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter. Diximus de his ſuperius. Item ex c. 12. eiuſdem, quod ante mundi conſummationem

in illo tempore conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi mei, & veniet tempus, quale non fuit &c. Blaſius Viegas in Apoc. 12. Angelus, inquit, Perſarum de Danielis c. 10. & 12. intelligitur bonus, quidquid dicant alij. Diſſentiebant autem interim, dum eis Dei voluntas non erat explorata. Angelus Perſarum contendebat Iudæos non eſſe liberandos: tum quia his malis fiebant meliores vexatione eis dante intellectum: tum quia ex eorum conuerſatione multi Perſarum ad verum Dei cultum perducebantur &c. Contra Gabriel, & Michael eorum libertatem pugnaciſſimè tuebantur, primò quia Perſarum conſuetudine multi Iudęorum ad idololatriam pertrahebantur. Secundò, quia multi inter Iudæos erant ſanctitate pręſtantes, veluti Daniel, qui tam diuturnam captiuitatem minimè merebantur. Tertiò, quia opus erat Deum ſtare promiſſis &c. Et quoniam Gabriel meliorem cauſam tuebatur, venit in eius auxilium Michael, quoniam, vt ait Greg. hæc Gabrielis defenſio ad eum verè pertinebat, quippe qui erat Hebræi populi præpoſitus. Ex quo colligimus magnam Michaelis poteſtatem, qui nimirum ſoleat

ad

ad reliquos angelos inferiores adiuuandos accurrere, & cuius ope & auxilio indigebat Gabriel &c. Porro angelum iſtum Perſarum, bonum fuiſſe cenſuerunt quoque Theodoretus, Gregorius, Thomas, & alij plerique. qui propterea B. Thomas 1. p. q. 113. art. 8. docet angelos bonos ſibi mutuò non reſiſtere quaſi eorum voluntates ſint contrariæ, ſed quatenus ea, de quibus Deum conſulunt, ſunt repugnantia. Et in ſecundo ſcripto ſuper Mag. ſent. diſtinct. 10. art. 3. Dicit diſcordiam inter aliquorum voluntates poſſe attendi dupliciter; formaliter quidem quando voluntates contrariantur in fine, & talis diſcordia inter angelos bonos eſſe non poteſt, quia vnuſquiſq; eorum quidquid vult, vult ad gloriam Dei, & ad diuinæ voluntatis impletionem. Materialiter verò, quando volunt contraria, ſed propter eundem finem. Et talis diſcordia poteſt eſſe in angelis bonis, fuitque ex dictorum ſententia inter Gabrielem eum adiuuante Michaele, & principem Perſarum locis citatis.

CAP.

CAP. XIX.

Mandat Gabrieli, vt viſionem de iugi ſacrificio, & conculcatione ſanctuarij Danieli exponat.

AD S. Michaelem & id refertur, quod eiuſdem Danielis c. 8. his verbis dicitur: Et audiui vnum de ſanctis loquentem, & dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui loquēti. Vſquequo viſio, & iuge ſacrificium, & peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei: vſque ad veſperam, & mane & dies duo millia trecenti, & mundabitur ſanctuarium. Factum eſt autem cum viderem ego Daniel viſionem, & quęrerem intelligentiam: Ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri. Et audiui vocem viri, inter Vlai, & clamauit, & ait (Michael ſcilicet) Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. Et venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam. Cumque veniſſet, pauens corrui in faciem meam &c. Accidit hoc anno tertio regni Baltazar. Quo loco Carthuſianus, circa hæc ſcribit, ait, Hieronymus.

Virum iſtum, qui Gabrieli præcipit, vt Danielem faciat intelligere viſionem, Hebræi Michaelem autumant. Erat autem Michael inter Vlai, id eſt, vt Carthuſianus, inter paludem, & portam ita dictam à Palude adiacente, & inde præcepit Gabrieli tanquam inferiori, vt viſionem illam exponeret Danieli. Et vt Thyreus l. 3. c.19. de apparitionibus; Ipſe Gabrielem illuminat, quod vtique ſuperioris eſt. Ex quo, ait Carthuſianus, probatur ordo in miniſterijs angelorum. Et quoniam Michael princeps extitit ſynagogæ, diligentiam habuit de illuminatione prophetæ, nempe ad totius ſynagogæ vtilitatem, & conſolationem. Fluunt autem illuminationes à ſuperioribus, ſecundum quod dicit diuinus Dionyſius legem eſſe diuinitatis reducere ad ſe media per prima, & infima per media. Simile eſt quod Zachar. c. 2. dicitur: Curre, & loquere ad puerum iſtum &c. de quo inferius, & ibi Ribera: Erat enim (inquit) angelus hic ſuperior, & docet atque illuminat angelum inferiorem. Erat autem magni admodum momenti illa viſio, quam Gabriel iuſſu Michaelis Danieli intelligendam dedit: Nempe de potentia regis Græcorum (Ale-

(Alexandri ſcilicet magni) qui monarchiam Perſarum, & Medorum erat ſublaturus, & ſibi vſurpaturus eamque ſuis relicturus diuidendam, ex quibus Antiochus Epiphanes (Antichriſti figuram qui geſſit) oriundus, qui homo impius, & crudelis, & ſanguinarius qui contra Deum conſurget, & tandem miſerè ſine manu, id eſt, propria morte, miſerabiliter licet morietur.

CAP. XX.

Quod populum è captiuitate Babylonica reduxerit, & de apparitione eius Zachariæ 1. cap. facta.

PORRO ſicut iuſto Dei iudicio populus Iudaicus annis 70. in Babylonia exulauit, ita & eiuſdem inſigni miſeratione in terram repromiſſam redux factus fuit; ſed non ſine ſtudio, & illuſtri ope principis ſynagogæ Archangeli Michaelis. Qua de re apertum eſt teſtimonium c. 1. Zachariæ prophetæ his verbis: In anno ſecundo Darij factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce

vir aſcendens (S. Michael) ſuper equum Rufum & ipſe ſtabat inter Myrteta quæ erant in profundo, & poſt eum equi Rufi varij, & albi. Et dixi, qui ſunt iſti Domine mi? Et dixit ad me Angelus Domini, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi, quid ſint hæc. Et reſpondit vir qui ſtabat inter myrtera (S. Michael) & dixit: Iſti ſunt, quos miſit dominus, vt perambulent terram. Et reſponderunt angelo, qui ſtabat inter Myrtera, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit. Et reſpondit Angelus Domini (S. Michael) & dixit: Domine exercituum vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem, & Vrbium Iuda quibus iratus es? Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. Et reſpondit Angelus, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria, &c. In quibus verbis S. Michael intelligitur, etiam ab Hebræis ſecundum Hieronymum, inquit Carthuſianus, & ſecundum Theodoretum referente Ribera hîc, & dicente id ſibi videri probabile, & qui etiam Angelus Domini appellatur. Stare autem dicitur inter Myrtera, odoriſera ſcilicet, & viridantia, id eſt, inter viros iuſtos, & qui erant adhuc in Babylone, &

qui

qui erant tunc in Iudæa: vtrorumq́; enim, ait Ribera, curam gerebat. Erant autem illi in profundo, ſeu in profunditate aquarum, vt vox Hebraica ſonat, id eſt, in calamitoſo, & periculoſo tunc ſtatu: In Babylone enim tenebantur captiui & quaſi ſerui, expoſitique inuidiæ Chaldæorum. In Iudæa verò à finitimis gentibus premebantur, & à deſiderata templi, & vrbis inſtauratione impediebantur. Aſcendens autem ſuper equum rufum dicitur. Color enim rufus, ſeu rubeus vltionem portendit diuinam aduerſarijs Iudæorum infligendam propter peccata in eos perpetrata, de qua propheta loquitur in fine eiuſdem c. Et cum equi rufi ad laborem ſint duri, ſignificatur angelum Domini non fore defatigandum donec omnia, quæ dicta ſunt, perficiat, idq́; celeriter, & proximè: ideo enim habentur hæc verba: Vir aſcendens ſuper equum. Equus enim ad rerum expeditionem ſeruit, & ſignificatur, ait Ribera, celeritas eius ad omnia Dei iuſſu obeunda, & ad faciendum omnia, quæ ad populi eius faciunt ſalutem; & vt citò declaretur ventura populi conſolatio, liberatio, & ſalus. Necnon vltrò angelum Domini Michaelem velle eos extrahere

trahere ex locis illis profundis & calamitoſis, id eſt, ex illis calamitatibus, & periculis. Poſt eum equi ruſi varij, & albi aliorum regnorum cuſtodes deſignantur, ſuam quique prouinciam perluſtrantes, ſiue ſanguinariam, ſiue manſuetam, & tanquillam, aut medij tenoris. Quibus referentibus, & velut interroganti Michaeli reſpondentibus alibi omnia eſſe quieta, & tranquilla in omnibus regnis: inde velut occaſione accepta, & quæſita Michael Archangelus præſes ſynagogæ, ingenti affectu interpellat pro Iudæis: Vſquequò &c. ſcilicet cum cætera regna idololatriæ dedita proſperentur, quamdiu differes reædificationem templi, & vrbis ſanctæ, & oppidorum regni Iudæ, quorum peccata hucuſque caſtigaſti, & oppida deſtructa reliquiſti: ſeptuaginta enim anni fluxerunt, à deſolatione templi ſcilicet, & Hieruſalem vſque ad ſecundum Darij regis, quibus euolutis dixiſti te viſitaturum populum tuum, & ſuſcitaturum ſuper eos verbum bonum &c. Ierem. c. 14.

CAP.

CAP. XXI.

Metitur Hieruſalem c. 2. Zach. & Iudith contra Holofernem confortat.

QVod ſecundo c. Zachariæ conſequenter habetur his verbis: Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus menſorum. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me vt metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit longitudo eius: Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius (ſcilicet ſuperior Michael) egrediebatur in occurſum eius, Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum iſtum &c. Vir ille intelligitur Michael, qui ſupra ſtetiſſe inter Myrteta dictus eſt, vt Carthuſianus ibidem. Totius enim terræ, & populi curam habere angelus iſte videtur. Et ea menſuratione ſignificatur recuperatio terræ, & reductio populi ad priſtinum ſtatum: Menſurari enim area in longum & latum ſolet antequam ædificium conſtruatur. Simile legitur Ezech. c. 40. id quod & ſupra S. Michaeli adſcripſimus. Nec obſtat quod propheta de ædifi-

catione Eccleſiæ vniuerſalis potius ſit accipiendus, cum eius quoque princeps ex tunc eſſet deſignatus; ita vt aptè admodum cenſeri poſſit de eius magnitudine, & dimenſione locutus. Ex hoc autem conſtat, inquit Carthuſianus, quod angeli ſuperiores mittant, & illuminant inferiores quemadmodum ſcribit Dionyſius. De vidua illa non minus ſancta, & omni laude digna, quam formoſa, & opulenta Iudith, poſtquam fortiter cædem tyranni perfeciſſet, & reuerſa in ciuitatem ſuam attuliſſet eius præciſum caput legitur ita illam dixiſſe ad primates, & populum Bethulienſem: Viuit autem ipſe dominus, quoniam cuſtodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me dominus ancillã ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoriâ ſuâ, in euaſione mea, in liberatione veſtra &c. Ecce vbi puritas vitæ, vbi confidentia in Deum, vbi ieiunia, & preces, ibi angeli præſidium.

CAP.

CAP. XXII.

Heliodorum in equo terribilis apparens deterret ac flagellis corripit.

QVale etiam præſidium non defuit Oniæ optimo pontifici, quando Heliodorus Seleuci regis iuſſu aſtutè ingreſſus Ieroſolymitanam ciuitatem, quod decreuerat, perficiebat ipſe cum ſatellitibus circa ærarium. Præſens tunc enim Spiritus omnipotentis Dei magnã fecit ſuę oſtenſionis euidentiam, ita vt omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem, & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illi quidam equus terribilem habens ſeſſorem optimis operimentis adornatus, iſque cum impetu Heliodoro pedes eliſit. qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes, virtute decori, optimi gloriâ, ſpecioſi amictu qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant ſine intermiſſione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circum-

cumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt. Et eum, qui cum multis curſoribus, & ſatellitibus prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabant nullo ſibi auxilium ferente, manifeſtâ Dei cognita virtute. Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe, & ſalute priuatus. Hi autem dominum benedicebant, quia magnificabat locum ſuum, & templum, quod paulò ante timore, ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente domino, gaudio, & lætitia repletum eſt. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confeſtim Oniam, vt inuocaret altiſſimum, vt vitam donaret ei, qui in ſupremo ſpiritu erat conſtitutus. Conſiderans autem ſummus ſacerdos ne forte rex ſuſpicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum conſummatam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem. Cumq́ue ſummus ſacerdos exoraret, ijdem iuuenes, iiſdem veſtibus amicti aſtantes Heliodoro dixerunt: Oniæ ſacerdoti gratias age: Nam propter eum tibi dominus vitam donauit. Tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem, & his dictis non comparuerunt. Heliodorus autem

hoſtia

hoſtia Deo oblata & votis magnis promiſſis ei, qui viuere illi conceſſit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu repedabat ad regem. Teſtabatur autem omnibus ea quæ ſub oculis ſuis viderat, opera magna Dei, &c.

CAP. XXIII.

Machabæos contra hoſtes cæteros, & contra Antiochum, iuxta Danielis prophetiam protegit.

LOngum nunc eſſet ea, quę paulò poſt per nepharios, Simonem, Iaſonem, Menelaum, & Alcimum in Iudęa & Ieruſalem acciderunt, per ſingula ſubtexere: vt qui & bonos mores corruperũt, plebem, & omnia ſancta profanarunt, & omnia euerterunt, ita vt templum ipſum deſertum exuſtis portis, & virgultis enatis manſerit. Id quod iuſto Dei iudicio, & ſynagogæ principis Michaelis eueniſſe cenſendum eſt, ſecundum illud Pſal. 44. virga directionis, virga regni tui; dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Et illud de ſancto ipſo Michaele Exod. 23. Non parcet

cum peccaueris &c. Verum ea breuis fuit tempeſtas ob virtutem, fidem & conſtantiam Machabæorum. Qui armis ſuis Deo iuuante omnia ea mala depulerunt opitulante eodem principe ſynagogæ Michaele Archangelo. Sicut enim in vaſtitate per Babylonios facta ex Zacharia propheta c. 1. oſtendimus eius vota, & ad Deum interpellationem pro populi in terram promiſſionis reductione, ac templo, & Dei cultu: ita & in hac deſolatione impij Antiochi eadem ſubſidia, & deſideria non omiſit. Neque enim ſibi diſpar eſt, & diſſimilis in ratione ſuæ præfecturæ. Teſtatur illud,& prędixit Daniel c.8. his verbis: Et audiui vnum de ſanctis loquentem, Et dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui loquenti: Vſquequò viſio, & iuge ſacrificium, & peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei: Vſque ad veſperam, & mane, dies duo millia trecenti, & mundabitur ſanctuarium &c. Hoc eſt poſt ſex annos (vt Carthuſ. oſtendit) ducto ſcilicet initio à primo Antiochi in Ieruſalem ingreſſu, quo templum ſpoliauit,& incluſo ſecundo eius ingreſſu, quo ſtatuam Iouis in eo collocauit, vſque ad tempus

quo

quo Iudas Machabæus illud repurgauit, ſicut habetur 1. Machab. c. 4. Verba illa Danielis c. 12. In tempore illo conſurget Michael princeps magnus &c. Porphyrius interpretatur de perſecutione ſub Antiocho Epiphane, vt Pererius in Daniel refert. Et in hoc quidem malè cum illa perſecutio, quæ ſub rege Nabuchodonoſor, fuerit & maior, & diuturnior. Sed in hoc non planè aberrauit, quod etiam tunc dicatur S. Michael conſurrexiſſe pro populo Iſrael, & ſteriſſe. Cæterum diui eiuſdem Archangeli ope & interuentu Machabæos, vt dicere cæpimus, victorias de hoſtibus illis fortiſſimis feliciter reportaſſe, manifeſtum exiſtit ex 2. Mach. c. 11. & lib. 1. c. 7. ac rurſum l. 2. c. 15. priori enim loco Iudæ Machabæo & ſocijs eius diuinam opem contra Lyſiam ducem implorantibus apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis vibrans haſtam &c. Leonum autem more impetu irruentes in hoſtes proſtrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos. vniuerſos autem in fugam verterunt: plures verò ex eis vulnerati nudi euaſerunt. Duobus autem alijs locis deſcribitur, quod Iudas Machabęus contra Nica-

norem

norem impium & blaſphemum ducem, ſacrorum irriſorem, & qui ea polluerat, & ſuperbè loqui auſus iurauerat ſe ipſum templum ſuccenſurum; orans ipſum à Deo dari ſibi propugnatorem Michaelem poſtulat, eum ſcilicet, qui olim ſub rege Ezechiæ memorabilem cladem, & cædem illam in exercitu Sennacherib contra æquè blaſphemum Rapſacen ducem fecerat. His verbis. Tu, Domine, qui miſiſti angelum tuum ſub Ezechia rege Iuda, & interfeciſti de caſtris Sennacherib 185. millia. Et nunc dominator cælorum mitte angelum tuum bonum in timore, & tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant, qui cum blaſphemia veniunt aduerſus populum ſanctum tuum. Qua pręmiſſa precatione commiſſum fuit prælium, & quidem ita, vt ipſe intolerandus Nicanor primus in eo ceciderit, & Machabæi 25. millia, non minus, ex hoſtibus proſtrauerint præſentia Dei magnificè delectati. Iudas Nicanoris caput, ac manum cum humero abſcindi poſſit, & Ieroſolymam perferri, vbi caput in ſumma arce, manus dementis contra templum ſuſpenſa fuit; lingua verò maledica particulatim præciſa auibus obiecta fuit, vt euidens

dens eſſet, ac manifeſtum ſignum auxilij Dei, cui & decreta quoque annua ſolemnitas.

CAP. XXIV.

Adeſt Iudæ Machabæo contra Timotheum.

SImile eſt quod primi Machab. c. 10. enarratur de pugna Iudæ Machabæi contra Timotheum: Cum enim is orationem ad Deum præmiſiſſet, & ſumptis armis vehemens pugna eſſet, apparuerunt aduerſarijs de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumem conſeruarunt: in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant &c. Notandum autem quibus precibus, ieiunijs, fletu, lachrymis, cinerum aſperſionibus, & ipſe, & populus Deum ſibi placatum reddere ſatagebant, & quam bonis ſe ſermonibus, & exemplis alter alterum animabant.

CAP.

CAP. XXV.

Ipſum fuiſſe qui ſecundum tempus in piſcinam deſcendens aquam mouebat Ioan. 5.

HIs omnibus pro huius libri coronide perpetuum ſynagogæ miraculum adijcimus, quod etiam Chriſti euangelizantis tempore perdurabat. quod Ioan. c. 5. his verbis enarratur. Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur hebraicè Betzaida quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentum, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Hoc ſanè ingens erat, & perpetuum miraculum. Angelus autem Domini, qui ſecundum tempus deſcendebat, ipſe erat Michael ſynagogæ princeps, & qui in ea primas & illuſtres præ alijs, quidquid gereretur, partes habebat.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE PRINCIPATV AC GESTIS D. Michaelis Archangeli in Eccleſia Chriſti.

CAPVT PRIMVM.

VTI D. Michael veteris ſynagogæ fuit princeps, & adminiſter indeficiens, ita verò, & multò magis Eccleſiæ Dei ſponſæ, adminiſtrare cœpit, quæ ſunt ſalutaria. Poſtquam enim (inquit Pantaleon) valde irritauerunt, & penitus dereliquerunt Dominum Deum increduli Iſraelitæ, & ea de cauſa fuerunt penitus exterminati, & aduocati ſumus, qui credidimus ex gentibus, & factus nouus Iſrael à Chriſto denominatus, & Chriſtum intelligens (nam ſi interpreteris Iſrael, is eſt meus Deum videns.) Tunc diuinum quoque militiæ principem Michaelem remouit à Iudæorum conſuetudine bonus Deus, & ab

eo tempore nobis electis chriſtianis conſtituit maximum defenſorem, & ſeruatorem, aliarum gentium curam apertè ſuſcipientibus alijs minoribus angelis: Nam quò gens ſancta chriſtianorum & reliquis omnibus præſtantior, eò neceſſe eſt eſſe maiorem Michaelis Archangeli dignitatem, qui curam gerit generis chriſtianorum, Non enim eſſentia Angelorum habet differentiam, ſed dignitatis excellentia. Hæc Pantaleon: libenter enim eius verbis vtimur, cæterum Dionyſius Peronet in ſermone de S. Michaele. Olim, inquit, præfuit ſynagogæ, at nunc præſidet Eccleſiæ, in quam Deus contulit omnes prærogatiuas, quas antiquitus contulerat ſynagogæ; vti notitiam veritatis, legem, prophetas, ſacrificia, & ſacramenta, & quidquid eſt ad ſalutem neceſſarium; adeò quod veluti ibat, & præcedebat populum diuidens mare rubrum, vt iter illi pararet, & hoſtes eorum in eo obruens aquis: & deinde eum per deſerta deduxit, & in terram promiſſionis introduxit, & victores eos de omnibus inimicis effecit. Ita quoque idem eſt, qui tutelam & protectionem catholicæ Eccleſiæ gerit, & hactenus omnes eius hoſtes, & aduerſarios

rios debellauit, videlicet infideles, & hæreticos, & fideles Dei per huius mundi deſertum, id eſt, multas tribulationes ad terram viuentium deduxit. de quibus omnibus latiùs in ſequentibus.

CAP. II.

De ſtudio eius ác zelo circa Eccleſiæ Chriſti exordium: circa S. Ioan. Bapt. tres Magos, natiuitatem Chriſti, &c.

QVantus autem D. Archangeli circa exortum Eccleſiæ, quam fertiliſſimam, & vniuerſalem fore præſciebat, zelus & feruor fuerit, expendere quiſque poterit, ſiue circa Ioannem Baptiſtam præcurſorem in deſertis enutritum. ſiue quoad tres Magos, qui fortiter eo duce auſi fuere in mediá ciuitate Ieruſalem, palam, & publicè adorationem regis Iudæorum recens nati profiteri: ſiue circa D. Virginem, eiuſque cuſtodiam, & contra Herodem, & Ægyptios, apud quos exulauit, gentem nimirum peccatricem: ſiue cum Chriſtus duodecim factus annorum inter doctores à parentibus perditus diſputauit, &

reliquis annis rex cæli ſub obedientia vixit, omnibus angelis mirabiles de ſe præbens delicias, concurſum alliciens, & miniſteria recipiens. In his, enim, & alijs ſimilibus ſæpe Angelus Domini interueniſſe memoratur. Imo verò ad paſtores, Luc. 2. ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo. Hoc fuit veluti tripudium ipſius, & omnium angelorum, nato ſcilicet Meſſia, qui principem mundi antequam ſerpentem, & humani generis vaſtatorem, furem, & latronem, eſſet foras miſſurus, & fidelibus pacem daturus. In baptiſmo Chriſti quod eius fuerit obſequium ſuſpicere magis lubet, quam dicere, quum in talibus actibus, & myſterijs probabile ſit non vllum defuiſſe angelorum. Cum autem Saluator 40 diebus in deſerto ieiunaſſet, & diaboli tentationes viciſſet, quod de angelis dicitur, Et ecce angeli accedebant, & miniſtrabant ei, in tanto certamine, & tam glorioſá victoria, qua Chriſtus ſemel fidem fecit vinci eum poſſe, qui totum orbem ſub peccati iugo tenebat, haud defuiſſe pro dignitate diuum Archangelum diaboli indefeſſum ac præcipuum hoſtem,

ſtem, credendum eſt, & miniſterium dignum non ſubijſſe illi, cui quoties vult, præſto ſunt pluſquam duodecim legiones illorum.

CAP. III.

Quod hoſtiles contra Chriſtum inſultus repri-meret, quod ei in transfiguratione, adfuerit, & in horto confortauerit.

PRæterea inſultus, & hoſtiles in Chriſtum motus Scribarum, Phariſæorum, & Principum Sacerdotum, quando Chriſtum vel de monte præcipitare, vel lapidare tentauerant: fruſtra quidem, quia nondum venerat hora eius, & vis cœleſtis obſtabat. In transfiguratione quoque, vbi Moyſes, & Helias, & in re tanta nullus angelorum defuiſſe videtur ſecundum regulam Chryſoſtomi: Ibi Chriſtus, vbi omnes angeli. In probatica piſcina, vbi Michael ſtato tempore aquam mouebat, locum ipſum Chriſtus ſua præſentia honorauit, nec id ſolum, verum etiam miraculo ſuo celebriorem effecit. In monte Oliueti, vbi Chriſtus ante paſſionem, &

Iudæ aduentum proditoris, orans cœpit contriſtari, pauere, & tædere, & mœſtus eſſe: Et ter patrem rogauit, vt calix transferretur, & hora tranſiret. Apparuit autem angelus de cælo confortans eum & factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Etſi ſunt qui eum Angelum Gabrielem putent: plures tamen Michaelem fuiſſe, & quod in tanta animi lucta alibi fuiſſe, non ſit temerè credendus, autumāt. Nam, vt ait Durandus, nobiliſſimus fuiſſe creditur angelus, qui Chriſtum in agonia confortauit Luc. 22.

CAP. IV.

Eum in horto Chriſtum confortaſſe, & qua ratione.

ET vt paulo latius rem expendamus, Gerſon quidem, & Panigerol, alijque nonnulli conſolationem illam angelicam Gabrieli attribuunt, ſed Stella Michaeli, inquit D. Bucherus, & S. Bonauentura, de quo paulò infra. Ludolphi verò de vita Chriſti hoc pro nobis apertum eſt

teſti-

teſtimonium: Cum autem oraret, & anxiaretur Ieſus (Ecce Angelus) princeps Michael aſtitit confortans in eo motum ſenſualitatis, ſecundum quam paulo minoratus eſt ab angelis, illum ſcilicet motum, quo exhorrebat mortem & ſicut contriſtabatur vt homo, ſic ex verbis angeli ſui fuit confortatus vt homo, & cætera ibi de verbis S. Michaelis ad Chriſtum, & ad patrem, & quod confortauit eum, vel de ſua præſentiâ ſicut amicus de ſua præſentia confortat amicum, eum viſitans. Confortauit autem, id eſt, ad modum confortantis ſe habuit vt exponit Albertus Magnus in dictum c. Lucæ, ſcilicet ei aſſiſtendo, vel aliqua verba conſolatoria dicendo, quia ſcilicet hinc vinceretur Lucifer, ſicut olim victus fuit in cælo: vel quia magnanimum magna ſuſtinere decet, & paſſio cito tranſiret quidem, fructus autem eius foret perpetuus, redemptio ſcilicet humani generis, & angelorum reſtauratio &c. latè Dionyſius Carthùſianus: Idem & ſimilia recenſet in Luc. 22. probabile (inquiens) Angelum iſtum fuiſſe Michaelem tunc principem ſynagogæ, cuius Chriſtus fuit perſona digniſſima. Apparuit autem angelus iſte de

cælo, & propè, ac ante Chriſtum ſtans viſibiliter in corpore aſſumpto, confortauitq́; eum, hoc eſt verba conſolatoria, & confortatoria laude plena loquebatur ad Chriſtum dicendo: O Domine tu modo liberaturus es totum mundum: hanc horam, tuamq́ue ſaluberrimam paſſionem prophetæ prænunciarunt, & ſancti expectant in lymbo &c. latè, ad oſtendendam ſcilicet per omnia in ſe veritatem humanæ, inquit, naturæ, & ad noſtram inſtructionem, vt ſciamus, quod reuerenter, & deuotè orantibus angeli aſſiſtãt. Addit Ioannes Eckius, Obnixè inſuper rogans, vt illam maturaret, nec diutius differet, & vt magnitudo doloris eius ſic demonſtraretur, inquit, Theophylactus verò, Apparuit illi angelus glorificans eum, & dicens, Tua eſt Domine fortitudo, tu enim præuales contra mortem & contra infernum liberare genus humanum. Bonauentura quoque, de quo paulò ante ita expreſsè ſcribit meditationum vitæ Chriſti c. 15. Cum autem ſic orat anxiatus Dominus Ieſus: Ecce Angelus Domini Princeps militiæ cœleſtis exercitus Michael ſcilicet, aſtitit confortans eum, & dicens Salutem: Deus meus Ieſu: Ego ora-

tionem veſtram, & ſudorem veſtrum ſanguineum patri veſtro obruli in conſpectu totius curiæ ſupernæ, & omnes procidentes ſupplicauimus calicem hunc transferret à vobis: Et reſpondit pater. Nouit dilectiſſimus filius meus Ieſus quod humani generis redemptio quam ſic optamus, ſine ſanguinis ſui effuſione ſic decenter fieri non poteſt; & ideo ſi ſalutem vult animarum, oportet eum pro eis mori. Quid ergo diſcernitis? Tunc reſpondit Dominus Ieſus Angelo: Salutem animarum omnino volo, & idcirco potius eligo mori, vt ſaluentur animæ, quas ad imaginem ſuam pater creauerat, quàm velim non mori, & animę non redimantur. Fiat ergo voluntas patris mei. Et Angelus ad eum: Confortamini ergo, & viriliter agite, excelſum enim decet magnifica facere, & magnanimum ardua tolerare. citò pertranſibunt pœnalia, & ſuccedunt perpetuò glorioſa. Dicit pater quod ſemper vobiſcum eſt & quod matrem veſtram, & diſcipulos ipſe ſeruabit, ipſoſque incolumes vobis reddet. Et humilis Dominus reuerenter; humiliter ſuſcipit hanc confortationem etiam à ſua creatura conſiderans id eſſe minoratum paulò minus ab

angelis

angelis dum eſt in hac valle miſerâ tenebrarum. & ſic contriſtabatur vt homo, & valefecit ei, & ſic ex verbis angeli fuit confortatus vt homo, rogans vt eum patri, ac curiæ cœleſti, commendaret. Ne autem putet quis Chriſtum Dominum ab angelo ſcientiam aliquam futurorum, vel inſtructionem accepiſſe, Aduertendum eſt ex prædictis, & B. Thoma 3. p. q. 12. art. 3. ad 1. dici angelum confortaſſe Chriſtum, non per modum inſtructionis, cum omnia melius ſciret, & conſideraret quàm angelus; ſed quia proponebat rationes prædictas & ſimiles quæ natæ erant triſtitiam lenire, & inferiorem animæ partem confortare, quamuis nec Chriſtus eas ignoraret nec conſolationem ab illis acciperet, vt oſtendit ſequens agonia, & ſudor ſanguineus. Vnde & Albertus Magnus ſupra notatus dicit Angelum confortaſſe Chriſtum, id eſt, ad modum confortantis ſe erga ipſum habuiſſe.

CAP.

CAP. V.

Machinatio dæmonis contra Chriſtum tempore paſſionis eius.

ET ſi verò vt habetur Matth. 4. diabolus Chriſtum in deſerto poſt tres tentationes reliquerit : ad tempus tamen & vſque ad paſſionem eius ; eum dumtaxat dimiſit, reuerſurus tunc & eum tentaturus ſi quomodo ad impatientiæ, ac deſperationis laqueum adducere illum poſſet: vt ait Eckius in paſſionem Domini. Id verum eſſe oſtendit Chriſtus Ioann. 12. nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Quid enim in paſſione eius non machinatus eſt diabolus qui vt Carthuſianus, in Lucæ c. quartum, tempore paſſionis etiam Chriſtum accedere auſus fuit quemadmodum in Ioanne proteſtatur, venit ad me princeps mundi huius & in me non habet quicquam, ac omnino vt hoc dicere liceat, ita graſſatus eſt ſicut fera peſſima quæ vetuſta ſua ſpelunca vi exturbatur, aut Tyrannus antiquus à iuſto & glorioſo potentiori rege. Quid enim non per-

perpetrat? Sacerdotes, Scribas, Pontifices, populum in Chriſtum concitauit, ad conſilia praua & peruerſa impulit, Iudam auaritia excæcauit, poſt panis buccellam eius cor intrauit, proditorē effecit, ad laqueum denique (ita enim ſolet) impulit, diſcipulos magiſtri deſertores omnes fecit, Petrum quem petiuerat cribrare, periurare & abnegare cum anathemate Chriſtum effecit; teſtes & iudices corrupit; populum paulo ante Chriſti in Pſalmis & Canticis laudatorem, Barrabæ fautorem, ſanguinis eius ſpontaneum reum & cædis poſtulatorem effecit.

CAP. VI.

De pugna eius contrà diabolum, & quod eum ligatum miſerit in abyſſum Apoc. 20.

QVidam ad hoc prælium referunt c. 12. Apocal. Verum illud de extremo eius prælio in fine mundi verius intelligitur. Vide ibi Franciſcum Riberam, triplex enim, vt ait Carthuſianus in Apocal. c. 20. ſecundum Berengandum poni-

ponitur damnatio dæmonis; prima quando ob ſuam ſuperbiam de cælo proiectus eſt; ſecunda quando per Chriſti paſſionem perdidit genus humanum & relegatus eſt in abyſſum: tertia quādo in infernum cum omnibus ſuis æternaliter cruciandus mergetur, de qua in fine huius operis agemus: de ſecunda autem c. 20. Apocal. ſcribitur his verbis, & vidi angelum deſcendentem de cælo habentem clauem abyſſi & cathenam magnam in manu ſua. & apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas & ligauit eum per annos mille, & eum miſit in abyſſum & clauſit & ſignauit ſuper illum vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſumentur mille anni & poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore &c. Quæ verba ibidem Franciſcus Ribera; ita inquit interpretor Chriſti morte ſolutum eſſe humanum genus à vinculis diaboli & diabolum ipſum eiectum eſſe de terra, ſicut Dominus teſtatus eſt Ioannis 12. Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. & Apocal. 17. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt; & quoniam tunc cohibendus erat, ne Euangelicæ prædicationi obſtaret, &

ho-

homines à ſalute auerteret, & alligandus: Hoc Chriſtus per angelum fecit, & ideo angelũ vidit Ioannes deſcendentẽ de cælo. Etenim ſi dæmonem ſponſorum Saræ, quæ poſt Tobiæ nupſit, Deus interfectorem per angelum amouit, atque ligauit (ſicut legimus Tobiæ 8.) ſi tunc Raphael apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti, quid mirum, ſi angelus, quem Michaelem fuiſſe probabile eſt, diabolum vincat. Hoc autem ſimul atque Chriſtus mortuus eſt, factum eſt, ſicut indicauit ipſe cum morti proximus dixit: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Atque ideo hæc viſio Ioanni obiecta eſt, vt nos per eum cognoſcamus, & quod tunc factum eſt, & quod in mundi extremo futurum. Singula autem nomina ſuum articulum habent, τον δρακοντα, τον οφιν, τον αρχαιον, hoc eſt, draconem illum ſerpentem illum, antiquum illum; vt etiam refert Proſper Aquitanicus in dimidio temporis; vt hîc intelligere debeamus non de dæmone aliquo ex turba, ſiue, vt aiunt, de plebe, verba fieri, ſed, vt & Lactantius lib. 7. c. 24. & 26. de eorum principe, qui in terra relicti ſunt, vt homines exercerent, & no-

nomine quoque beſtiæ ſignificatur in Apoc. Nec enim hæc nomina (pergit Ribera) cuilibet dæmoni dantur in ſcriptura, ſed principi, quod articuli in græco additi oſtendunt, & illud Matth. 25. qui paratus eſt diabolo, & angelis eius, quem ego puto eſſe eum, qui Æuam in paradiſo decepit ſerpentis ſpecie (cuius rei cauſa ſerpens antiquus dictus eſt) & qui Dominum in Eremo ieiunantem inuaſit. Vnde & ex oppoſito quoque intelligo per Angelum Michaelem intelligi, vt princeps dęmonium reprimatur, vt ab initio à principe Angelorum. Ligauit autem eum, ne electos ſcilicet ad Eccleſiam venturos impediret; & vt Aug. lib. 20. de Ciu. Dei, eius poteſtatem ab eis ſeducendis, & poſſidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit, atque frænauit.

CAP. VII.

De eodem argumento.

IDem ſenſit (inquit Ribera) Andreas cuius hæc ſunt verba: Hîc factam narrat in paſſione diaboli ſubmerſionem, in qua eum, qui fortis eſſe videbatur, fortior

tior eo Chriſtus Dominus noſter ligauit, noſque qui ſpolia eius eramus, ab ipſius manibus liberauit condemnando eum in abyſſum. Hoc autem oſtenditur ex dæmonibus, qui ipſum deprecabantur ne ſe mitteret in abyſſum. Ligatum autem eum eſſe oſtendit idololatriæ interitus, ſubuerſio templorum idolorum, ac defectus cruoris ſacrificiorum, & diuinæ voluntatis in toto orbe impletio, atque cognitio.

Frater Claudius de monte Martyrum in c.12. Apoc. Proiectus autem fuit (ait) tempore Eccleſiæ primitiuæ, quando ſub ſecundo ſigillo martyres draconem, & ſuos tam glorioſè vicerunt. Sic ille. Verum ad Chriſti paſſionem potiſſimum id referendum eſt, qui potens, & fortis fuit in prælio Pſal. 23. Et miſit eum in abyſſum. i. vt in aliquo abyſſi loco virtute diuina teneatur vel certè in inferno vſque ad diem ſolutionis ſuæ, per mille ſcilicet annos. i. vt omnes conſentiunt, à Chriſti morte, vſque ad aduentum Antichriſti, ſumendo ſcilicet mille annos pro multis, aut perfectione certi temporis. Multis enim annis opus eſt, vt prædicetur Euangelium vniuerſo orbe, & vt radices agant in eo ſemina pietatis. Et vt

interea

intereа non ſeducat amplius gentes, id eſt, ſecundum Aug. electos ex omnibus gentibus. Si enim ſolutus vt antea relinqueretur, ſine dubio multos electorum ab euangelio deterreret, alios vel ad infidelitatem, vel ad mores priores reuocaret, atque in æternam mortem, adduceret, Verum quoniam diuina prædeſtinatio & electio impediri non poteſt, alligari eum iuſſit Deus, vt prædeſtinati ſalui fierent, qui alioqui in tam longo tempore, & tanta multorum infirmitate, plurimos etiam fideles deijceret, & ne crederent, impediret. Vnde & ratione crudelitatis ipſius ſub extremum mundi poſt eius ſolutionem futuræ, dicitur Matth. 24. Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Eius quoque poteſtas plurimùm reſtricta fuit & cohibita, vt ait Carthuſ. quando de innumerabilibus hominum cordibus expulſus fuit; ſed & per ſacramenta Eccleſiæ virtus diaboli fuit vehementer ligata, & diminuta, virtute tamen ſemper, & efficacia paſſionis Chriſti. *Cæterum de prælio eius, & loco illo Apoc. c.* 12. iterum dicemus lib. 6. c. 32.

CAP. VIII.

De eodem argumento, & prælij iſtius grauitate.

CVm itaque ideo non poſſit dici omnes dæmones ligatos eſſe, ſed eorum principem dumtaxat; quamuis eorum impediatur malicia,& crudelitas,ne tam vehementer electos tentent, quàm vellent: ſupereſt adhuc prælium, & dimicatio, de qua 1.Pet.5. dicitur: Sobrij eſtote, & vigilate, quoniam aduerſarius veſter diabolus circuit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.& Iacobi c.4. Reſiſtite diabolo,& fugiet à vobis.& vt in Pſ.33. Immittet angelus Domini, id eſt, caſtrametabitur angelus Michael, in circuitu timẽtium eum. Quàm graue illud ſit prælium, D. Paulus epi. ad Epheſ. cap.6. aperit dum ait, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes,& poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt

vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Quo loco & diligenter eam armaturam explicat: State ergo, inquiens, ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis;In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu & in ipſo vigilantes in omni inſtantia obſecratione &c. Succincti, inquiens lumbos, calceati pedes, loricam iuſtitiæ, ſcutum fidei, galeam ſalutis, gladium ſpiritus, orantes, & vigilantes &c. Quæ omnia hanc panopliam conficiunt. Princeps autem eſt militiæ Michael, & ideo ſacro chryſmate inungimur, vt fortiter militemus.

CAP. IX.

Quod Chriſto ad inferos deſcendenti adfuerit. quod eius reſurrectionem mulieribus nunciarit, & ad eius aſcenſionem angelos omnes aduocauerit.

VEnio ad Chriſti ad inferos deſcenſum, cui quis non dicat Michaelem Archangelum affuiſſe, & fulgentiſſimam eius animam comitatum! Maximè cum is, vt canit Eccleſia, conſtitutus ſit princeps ſuper animas ſuſcipiendas, ad quarum liberationem anima Chriſti eò deſcendebat; ac oret Eccleſia ſolemniter, vt ſignifer S. Michael repræſentet eas in lucem ſanctam Abrahæ, & ſemini eius promiſſam. Quomodo enim tunc earum liberationi defuiſſet, & nec honorem, nec miniſterium contra ſuum primæuum antagoniſtam exhibuiſſet. Nam ipſi, ſi cui alij, eſt proprium, & conſuetum Chriſto Deo adhærere, quam ad rem, & gratia, & luce, & naturæ viribus omnes antecellit. Quin & in ſcripturis liquet, quod quando rex aliquis, vel ad prælium, vel ad fœdus aliquod

ſe

ſe apparat, vel ad rem aliam arduam; ſimul & dux exercitus eius nominatur, tum honoris, tum miniſterij, & fidelitatis gratiâ. Quæ ratio identidem, & ad alios inſignes Chriſti actus applicari poteſt, vti in transfiguratione, reſurrectione, aſcenſione, &c. & quidem in reſurrectione Chriſti legimus Matth. 28. quod Angelus Domini deſcendit de cælo (Michael ſcilicet in re tanta & Eccleſiæ naſcentis, cuius princeps erat futurus, & iam fiebat, exordio, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur (ad terrorem ſcilicet inimicorum) & ad bonorum ſolatium veſtimenta eius ſicut nix. Vnde conſequenter præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. De aſcenſione verò S. Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti. Interim autem Michael, inquit, præpoſitus paradiſi pergens ad patriam, nunciauerat quod dominus aſcendebat, & ecce omnes ſpirituum ordines per acies ſuas occurrerunt eidem &c.

CAP. X.

Quod B. Petro præſto fuerit, eum è carcere liberarit, Herodem percuſſerit; ad Cornelij, ac Pauli conuerſionem operatus ſit, & in Deiparæ aſſumptione miram operam præſtiterit.

CONſequenter autem Petro tanquam Chriſti in terris vicario pro Ecclcſia dirigenda, defendenda, & augenda, non minus operæ præſtitiſſe credendus eſt S. Michael, quàm olim Moyſi pro populo liberando, & lege eius, ac ſynagoga. Vnde & B. Petri poſt Iacobum gladio ab Herode Agrippa percuſſum è carcere per angelum liberatio conformiter illi aſcribitur, & ipſius quoque impij blaſphemi, ac diuinum honorem ſibi aſſumentis Herodis miſerabile ab angelo percutiente ſupplicium Act. 12. De Cornelio quoque centurione, cuius orationes & eleemoſynas in memoriam in conſpectu Dei aſcendiſſe angelus Act. 10. teſtatus eſt, idem probabiliter æſtimandum, cum ipſe ſit, qui orationes, & eleemoſynas, ac cætera opera bona ponderat,

&

& æſtimat. Et cum duceret Æthiopiam ipſam, quâ latè patet, Eccleſiæ primitiuæ adiungere, vti Act.8. refertur: Angelus autem locutus eſt ad Philippum dicens, Surge, & vade contra Meridianum ad viam, quæ ducit inter Hieruſalem, & Gazam &c. Et vt ipſe Pantaleon. Quin etiam, inquit, Apoſtolum quoque Philippum ſimiliter rapuit Angelus Domini mei, & tranſtulit in Azotum, & non vidit amplius ipſum Eunuchus reginæ Æthiopum poſtquam ab eo accepit baptiſmum ſalutarem. Cuius verbis, ac Græcorum quoque libenter vtimur, vt in ſimilibus fides nobis tribuatur. Cætera vide in Actis app. Porro ad conuerſionem S. Pauli, qui Eccleſiam minarum ſpirans, & cędis perſequebatur, ſuum interpoſuiſſe miniſterium, ſimiliter accipiendus eſt, & eum in prędicatione verbi Dei ſæpenumero roboraſſe. Eum autem vel nomine Archangeli, vt 1. ad Theſſ. 4. vel ſub nomine exterminatoris, vt 1. Cor. 10. Nonnunquam deſignat B. Paulus; vti & B. Petrus, ac S. Iudas, qui mentionem eius honorificam facit Archangeli nomen illi tribuens, & eius certamen pro defuncti Moyſis corpore deſcribens. In aſſumptione autem

diuæ Virginis quid non ad honorificum eius triumphum, ſanctæ, & indiuiduæ Trinitati acceptiſſimum præſtitit, in quo ſatis teſtatum habemus quod angelica chorea, & hymnodia interfuerit.

CAP. XI.

Loca Apoc. 12. & 8. de ipſo exponuntur.

DEnique & S. Ioannes Euangeliſta conformis Danieli Prophetæ c. 12. ſuæ Apoc. Nominatim ei prçlium tribuit contra draconem. Et quod eiuſdem lib. c. 8. in apertione ſeptimi ſigilli: Et alius angelus ſcilicet à ſeptem ſpiritibus, & angelus, venit, & ſterit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuperaltare aureum, quod eſt ante thronum Dei: & aſcendit fumus incenſorum de manu angeli coram Deo &c. Rupertus ibi veraciter intelligit angelum illum fuiſſe Michaelem Archangelum principem noſtrum, eumque cunctis ſæculis ſtetiſſe pro filijs populi illius, eo-
rumque

rumque fuiſſe adiutorem. vt latè ibi ipſum differentem videre eſt. Nec ab eo planè diſſentit ibidem Fr. Ribera: At certè inquiens, Michaelem, cui tota Eccleſia commiſſa eſt; ideoq́ue fortaſſe in eius officio repetit Eccleſia quod de hoc angelo ſcribitur: Stetit angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua &c. Vbi latè is quoque de verbis allegatis. Hinc colligo Michaelem non fuiſſe vnum de illis ſeptem, ſed illis inter ſe æqualibus excellentiorem, ac eminentiorem, vtpote principem. Sentit quidem Ribera ad verba iſta cap. 7. Et vidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui &c. Angelum illum non fuiſſe Chriſtum, ſed vnum de ſeptem ſpiritibus, quibus commiſſa eſt ſalus hominum, ſed ego malim dici Michaelem Eccleſiæ principem, & ſigniferum curam animarum præcipuè habentem, quique vt alijs ſuperior ac Deo proximior eſt, ita & alijs Dei nomine præcipit, & eos illuminans, in ſua miniſteria dirigit.

De alijs Apoſtolis in orbem diſperſis, nihil quod ſingulariter ſcribamus, ſubeſt, niſi quod

quod cõmuni conſenſu ex ſcripturis quoque inſtructi, & Spiritus vnctione Michaelis principatũ & adiutricem operam prædicarunt; quorum quia parcè admodum ad nos venerunt geſta, ita non mirum ſi in hoc genere pauciſſima reperiamus. Sanè quæ apud Coloſſenſes de eo prædixiſſe B. Ioannem Euangeliſtam accepimus, inferius deſcribemus.

Apocalyp. c. 4. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens; Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius. Et miſit angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum,& calcatus eſt locus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta. Fr. Ribera ibidem hunc angelum, qui exiuit de altari, probabiliter dicit fuiſſe Michaelem, qui vt princeps eorum,qui mittuntur, inquit ad nos, per alios minores angelos (de quibus loquitur dominus Matth. 13. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent

eos

eos in caminum ignis) damnatos mittet in caminum ignis. Angelus ergo, inquit, qui poteſtatem habet ſuper ignem, angelus magnus eſt, cui commiſſum eſt, vt martyres in certamine adiuuet & confirmet, ignemq́ue eorum accendat, quantum poteſt, quia hic ignis illi commiſſus eſt, & ipſe ſuis conſilijs, ac precibus, eum quaſi flatu quodam excitat, & auget. De hoc angelo fortaſſe dictum eſt illud Pſal. 33. Immittet Angelus Domini (id eſt, caſtra ponet) in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Hic etiam videtur Angelus, de quo Dan. 3. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace &c. Atque hic ignis eſt altaris. Hæc Fr. Ribera num. 82. & ſeqq. latè.

Miſſa conſultò facimus alia Apocalyp. loca, quæ ad D. Michaelem aptè admodum referri poſſent. vt c. 1. Vbi ſuſtinuiſſe Dei perſonam dicitur. & c. 10. ac 18. per angelum fortem, quo nomine vnus ex ſuperioribus meritò intelligitur; vti & ille c. 5. qui ad ſalutem hominum librum aperiri expoſtulet. Et quidem Lyranus Gabrielem autumat fuiſſe, quia nomen eius ſonat fortitudo

tudo Dei; Verum, vt Ribera, contra facit, quod c. 18. Apoc. dicitur vnus angelus fortis, id eſt ſecundũ ſcripturæ phraſim, vnus ex angelis fortibus, atqui non ſunt plures Gabrieles. Exiſtimarem fuiſſe D. Michaelẽ, vt qui ſit maiori, & principali fortitudine præditus, veluti & alios omnes ſuperat in omnibus donis & virtutibus. Neque planè ibi defuit, vbi tota cœleſtis aderat militia. idemque dicendum de c. 10. & 18. Apocal. Neque verum Gabrielem ſignificare idem quod fortitudo Dei, ſed vir Deus, vel vir Dei. Vnde tamen fortitudo ei tribuitur. Et certè, quod in Apocalypſi plurima de S. Michaele accipiantur, non mirum, nam à cap. 4. ibi regimen continetur Eccleſiæ vſque ad finem ſæculi.

Veniamus nunc ad alias apparitiones, & alia eius varijs in locis ſucceſſu temporis geſta, de quibus in genere ita in breuiario Rom. octaua Maij legitur. Beatum Michaelem Archangelum ſępius apparuiſſe hominibus, & ſacrorum librorum authoritate & veteri ſanctorum traditione comprobatur: quamobrem multis in locis facti memoria celebratur. Eum vt olim ſynagoga, ſic nunc cuſtodem & patronum Dei veneratur Eccleſia, &c.

CAP. XII.

De eius apparitione D. Magdalenæ facta.

DIua Magdalena Magiſtri noſtri, & Domini Chriſti fidelis amatrix, ſicut erga Chriſtum, & ante mortem eius & poſt paſſionem impensè fuit ſollicita, ſic etiam ipſa Angelorum, dum viueret, meruit ſolatia. Apparitionem autem D. Michaelis ei factam refert in eius vita Surius ex Sylueſtro Prieras in roſa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 86. annos in ſancta Bauma, ſeu Balma Diuæ Magdalenæ mira deuotione continuò ſeruiſſet, & ea ab ipſa reuelante didiciſſet, paulò ante mortem ad gloriam Dei ita accidiſſe enarrauit. Nempe quod Beata Dei amatrix Magdalena, cum mirabiliter ad Maſſilienſem portum delata cum ſorore, fratre, & alijs, loci incolas ad fidem, & Chriſti cultum prædicatione diuini Verbi, & miraculis conuertiſſet, humanum poſtmodum fauorem, & inquietudinem per-

pertæſa, demum diuinitus rapta fuerit, & ſub antri, ſeu ſpeluncæ ora depoſita, vbi ipſa à dracone, & viperea multitudine deterrita cum fuiſſet, & inde draco eam ore ſuo deglutiendam attraxiſſet, inuocato nomine Ieſu Chriſti ab angelo inde educta fuit, qui calce draconem percutiens, eum inde & viperas ſimul egredi iuſſit. Quo facto Michael Angelus ſpiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuerſus totam bauinam lambens; immundas, ac fætidas viperarum feces aſſumpſit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.

Deinde ad eum conuerſus: Deus, inquit, quem tantùm, ô Magdalena concupiſcis, & ſemper habes, te vult hunc locum lachrymis rigare perfuſis, vt futuris ſæculis exemplum pœnitentiæ perpetuò fias. Sed cùm poſtea dæmones ea vidiſſet, qui in dextera ſpeluncæ aſtantes, deceptoriè verba ſuauiſſimi amoris Hebraica lingua decantarent, & poſtremò ſubinferrent non expedire animæ tam aſſiduam orationum frequentiam, & extra ſpeluncam aërem ſimilibus eſſe plenum, repente cum ſuis militijs Angelus Michael ſuperuenit dicens, Adſum Magdalena, ne timeas. Deinde malignis

lignis ſpiritibus congreſſus, eos omnes in fugam compulit, ita clamantes: Non eris tamen ideo beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Inde crucẽ angelus in ore ſpeluncæ erexit dicens, Caue ne in poſterum extimeſcas, cuſtos tui eſt altiſſimus. Cùm autem orto ſole ipſa crucem conſpiceret, videbatur ei coloris criſtallini, & radijs fulgentibus coruſca. Deinde aſtitit tam læta, & iubilans angelorum turba, vt æterna vita in eo antro credi potuerit, à quibus repente ad infernalia loca delata, pœnarum genera, & punitorum turmas inſpexit. Cùmque ad loca purgatorij ventum eſſet, tanta dulcedine ſpiritus eam deuoti circũſteterunt, vt ſibi videretur eſſe in patria, cui cùm magna teneritudine dixerunt: Ora pro nobis Magdalena noſtra; quibus ipſa: Vtinam, inquit, veſtra voluntas per me impleatur, animaduerto quantùm auxilij vobis ſit opportunum. Vnde cùm ad crucem relata, ac repoſita fuiſſet, angelus Dei ait: Quanto tempore tuus, ac noſter amor Ieſus in terris te propter euixit, tanto tu quoque in hac ſpelunca moraberis. Omni autem euoluto die angelorum adfuere militiæ, & eam tam ſublimem in aëra tranſtulerunt, vt cœleſtes audi-

audiuerit reſonare melodias. In ipſa autem cruce myſteria Chriſti cuncta videbantur; Ibi Annæ, & Ioachim hiſtorias; ibi matrem Ieſum parturientem; ibi crucifixi tetrum liuorem; ibi pium cruorem; ibi dura vulnera, ibi crucem, ac mortem eius dabatur intueri & eundem regredientem ab inferis, & cæli ſydera penetrantem &c. Ex Surio in Iulio de S. Magdalena.

CAP. XIII.

De apparitione Chonenſi in Aſia, & Archippo; & filia Laodiceni curata, & alijs miraculis.

CHonæ ciuitas eſt in Phrygia maiore, vnde ortus fuit Nicetas Chonenſis hiſtoricus, olim Coloſſi dicta, vnde Coloſſenſes, ad quos D. Pauli extat epiſtola. Hanc apparitionem & hiſtoriam pulchrè refert Metaphraſtes, quam habes ſupra primo libro. Summa autem eius eſt. De ſanctis, quidem, inquiens, viris narrare, & res illorum meminiſſe, non ſolum eſt pium, ſed etiam nobis vtile, & conducibile: memoria enim eſt omnino ſignum deſiderij.

ſiderij. Martyrum autem, & ſanctorum deſiderium tranſit ad ipſum communem dominum, quem illi laudare, & ei gloriam tribuere elegerunt, à quo rurſus maiorem ſunt gloriam conſecuti. De incorporeis autem ſcribere virtutibus, earumque diuina ſigna enunciare, & prodigia, eſt longè vtilius. Nam quò eſt eis maior apud Deum coniunctio, & fiducia, eò etiam maiorem percipimus vtilitatem ex eorum narrationibus. Incipiendum eſt autem paulò altius: Nam id quoque coniunctum eſt cum argumenti conſequentia. Cum Chriſti iam diſcipuli, eiuſque euangelij miniſtri, & noſtræ ſalutis, ciuitates obirent, & diſſeminarent prædicationem, euangeliſta quidem & Theologus Ioannes, cui de maiori, quam in alios diſcipulos magiſtri in eum beneuolentia, teſtimonium fert euangelium, verſatur apud Epheſios. Philippus autem venit Hierapolim. Ioannes cum inueniſſet Epheſios errantes in profunda nocte infidelitatis, ſacrificiaque, & feſta peragentes, & quæcumque Deo conueniunt, Dianæ facientes, doctrinæ luce eos deducit ad veritatem, & cum puro veritatis radio eorum animas illuſtraſſet, tranſit ipſe quoque Hie-

rapolim, & verſatur ſimul cum Philippo. Quoniam autem vſque adeo decepta erat ciuitas, & gentium erroribus erat adeo implicata, vt vel viperam Deum exiſtimaret, neque vllo modo vellet admittere diuinum ſemen, & pietatis prædicationem: Apoſtoli Chriſti, qui non poterant aliter eis perſuadere falſa hæc eſſe, & animos eorum traducere ad pietatem, proficiſcuntur ad beſtiam, quæ quidem fuerat eis cauſa erroris, & interitus; & ambo conuerſi ad orationem, & in Deo facientes virtutem ipſam ſtatim deijciunt, & morte afficiunt. Hoc ſtultos vehementer irritat, & magno cient furore contra Philippum, vt qui eum putarent eſſe ſuæ gloriæ euerſorem & patriorum rituum; & omnes ſimul in ipſum irruentes tanquam vno animo tracti, & vna rabie; & alius alia parte beatum illud caput apprehendentes, cruci adfigunt & ei acerbiſſimè vitam præſentem eripiunt. Sed magiſter curam non abiecit diſcipuli, & qui miſit non eſt oblitus Apoſtoli, ſed quoniam vidit eum conformem ſuis perpeſſionibus, eum etiam fecit ſocium gloriæ ſuæ, ac miraculorum. Et repente quidem fuit vrbs terræ motu concuſſa, ſicut prius

quo

quo tempore Chriſtus meus pro nobis mortem ſubijt, & crucis ſupplicio volens eſt condemnatus. Metus & pœnitentia inuadit Iudæos, eorum valde percellens animos & ſuadens vt ſæuitiæ ſuæ, & immanitatis petant veniam. Et ille quidem ſic præclarè è vita excedit, cum certamen, & curſum apoſtolicum exornaſſet corona martyrij. Magiſter autem dilectus Ioannes tranſit ad quemdam locum qui vocatur Cherotipa, in regione Chonenſi ſcilicet; quo quidem in loco cum rurſus ſolita peregiſſet, eis acclamauit ſore vt mox Michaelis Angelorum principis diuinior illis fiat viſitatio, & diuinum quoddam ſignum, & admirabile. Sed ille quidem iuit etiam ad alias ciuitates talentum doctrinæ ſibi creditum volens multiplicare: Reuera autem impleta ſunt, quæ prius ab eo prædicta fuerant; & aqua ex illa terra emanauit paulò poſt, quæ ſi quis ſeu morbo laboraret, ſeu aliqua alia premeretur afflictione, ſimul atque eam ſumpſiſſet, præbebat curationem, & miraculorum copia, ac magnitudine, clariùs, & apertiùs quam linguâ ad ſe inuocabat infideles, & conuertebat ad pietatem. Erat enim Laodicena cuidam filia vni-

vnigenita muta ex quo primùm fuerat in lucem edita, quod quidem medium cor eius penetrabat, & vel ſuæ filiæ linguæ ſoluerentur vincula, vel propriam emiſiſſet animam. Is ergo occupatus à graui morbo infidelitatis, videt diuinam quandam viſionem meliora annunciantem, & pulchrè ei promittentem id quod erat futurum. Videt autem non vt qui dignus eſſet habitus videre talia (quomodò enim, cum & eſſet impius, & caliginem tantæ infidelitatis haberet offuſam oculis?) ſed vt & ille cum filia conuerteretur ab infidelitate, & multos alios attraheret ad pietatem. Viſio autem erat quædam intelligibilis natura, quæ ei aſtabat in ſomnis, & iubebat vt veniret cum filia ad ſanctam aquam, quæ apparuerat, pollicens fore vt non reuerteretur dolore affectus, ſed ſi vellet, exerceret pulchram negotiationem, & ſoluta ſolùm fide quæ eſt in eius poteſtate, emeret filiæ curationem. Ille itaque è ſomno excitatus, plenus horrore & metu ſtatim accedit cum filia ad fontem aquæ, ſicut iubebat viſio; & cum eos quidem, qui illic erant congregati, frequentes inueniſſet haurientes, & eam in ſua corpora infundentes; deinceps autem

etiam

etiam conſequentem operationem,& vnicuique prębentem à morbo liberationem, rogauit eos, qui aderant, quænam eſſet in eis in aqua inuocatio, & quodnam hoc ſit, quod ſenſim ad aquam cantantes tam celerem & copioſam aſſequerentur curationem. Illi autem reſponderunt nomen Patris,& Filij, & Spiritus ſancti,& militiæ principis Michaelis. Ille autem nihil differens, nec accipiens tempus ad deliberandum, ſed oculos ſimul ac manus ad cælum attollens vehementer vſus eſt inuocatione, & aduerſus affectionem Deum vocauit, qui tribus perſonis cognoſcitur, & eius miniſtrum Michaelem mouit ad interceſſionē. Neque verò fruſtratus fuit petitione, ſed ſtatim collegit curationem: Non ſolùm enim filia deſijt eſſe muta, ſed ipſe quoque, & filia liberati ſunt à vinculis infidelitatis, quod quidem erat impedimento linguæ longè grauius: Nam ſimul atque dedit aquam filiæ, & facile mouebatur lingua, & gratiarum actionem, & Deum habebat in ore, & famulum eius Michaelem inuocabat admirabiliter, & pręter opinionem. Quid deinde ſequitur? baptiſma ipſius Laoceni, & eius filiæ, & totius familiæ ad

Chriſtum adductio, & templi militiæ principi extructio magnificique, & ſumptuoſi tecti ſanctificatio, & reuera domus, vt ſcriptum eſt, decor. Et ille quidem cum ſic credidiſſet, & pro beneficio tales reddidiſſet gratias, domum reuerſus eſt cum filia, ſaluus factus (vt diuinus Apoſtolus ait, per filiorum procreationem, vel potius ſaluam videns filiam) & ambo ditati pietati.

CAP. XIV.

Archippi ad templum S. Michaelis aduentus, & eiuſdem in eo ſancta conuerſatio.

NOnaginta autem annis poſtea, credo circa annum Domini 180. puer Hierapolytanus nomine Archippus, cum pij ſeminis, & verè bonæ radicis bonum eſſet germen, tanquam quoddam lilium in medio ſpinarum, in medio hæreſum ſpirans pietatis ſuauitatem, decimo anno ætatis venit ad hoc templum, vt qui duceretur à quadam prouidentia: & fit eius edituus, qui quidem diuina gratia dignus fuit habitus. Carnis enim voluptatem tam pulchrè ſuperauit, & tam pulchra fuerunt

eius

eius vitæ proëmia, vt neque pane veſceretur, neque aliquo alio ex ijs, quibus homines veſcuntur neceſſariò: non vteretur balneis, neque ſuis corporis vllam curam gereret, ſed ſemper ſpiritali viuendi rationi vacaret: idque cùm eſſet puer, & nondum perfectiorem attigiſſet ætatem. quod quidē pene eſſet incredibile, niſi magnitudo virtutis, & ſpectaculorum, quibus dignus fuit habitus, hæc redderet credibilia & contra quæ nihil dici poteſt. Nam herbas quidem coquens comedebat, eaſque agreſtes, & quæ ne tantillo quidem ſalis aſperſæ erant: quod quidem omnibus neceſſarium eſt cibi condimentum. Id autem ſumebat ſemel in hebdomada, & aquam bibebat dimenſam. Indumentum autem erant duo ſacci, vnus quidem pro tegumento corporis, alter verò ſtragulo, longo tempore vterque eorum vſum implens. Anno enim toto alter ex ſaccis tegebat nuditatem, altero ſtratum operiente. Deinde vſum permutantes, alter quidem veſtimentum, alter verò rurſus fiebat ſtragulum, atque ea quidem, quæ erant ſub ſacco, erant acuti lapides, partem autem, quæ erat ad caput ſacci, ſub ſe ſentes habebat. Sic verò quieſcebat

vir ille egregius, ſi quando eum corpus defeſſum cogebat, vt ſe modicè remitteret. Quænam autem fuerunt eius verba ad Deum, per quæ ſuſcepit hanc vitam laborioſam, & aſperam? Ne bona huius vitæ videat meus oculus, neque mihi mens vmquam pendeat à præſenti vanitate. Imple Domine oculos meos lachrymis ſpiritualibus, contere cor meum, & dirige greſſus meos. Quid enim mihi prodeſt hoc corpus è luto factum, quod nunc quidem eſt, paulo poſt autem non erit: quod quidem ſicut herba mane effloreſcit, veſpere autem flacceſcit. Liceat mihi vni bono animæ adhærere, quod mihi omnino conciliabit eam quæ illic eſt, beatitudinem. Hæc quidem ſemper apud ſe verſabat in animo & Deum alloquebatur.

CAP. XV.

Infidelium contra Archippum, & S. aquam inanis machinatio.

TVrba autem infidelium hæc nequaquam poterat ferre ęquo animo, ſed partim quidem magna illa abundantia

dantia miraculorum aquæ ſanctificatæ: partim autem Archippi quoque rebus ad virtutem, & quæ ſunt ex Deo certamina, & tanta propter illum tolerantia illos mouebant, & incitabant & ad apertam deducebant inſaniam. Certè cum ſimul coijſſent, & dentem inſtar apri in vtrumque acuiſſent alij quidē crinibus Archippũ arripiunt, & virgis (ô manus ſceleratas!) eum cedũt crudeliter. Alij autē confluunt aduerſus ſanctã illam aquam, hanc quoque malè conantes afficere. Sed illis quidem manus obtorpuerunt; his autem flamma illinc ex aduerſo occurrens, fecit vt redirent inanes. Vnde etiam ad aliam conuertuntur machinationem. Volentes Archippum tollere de medio, & ſuperare ipſam aquæ operationem. Quænam eſt ergo ipſa machinatio? templi tam ad ſiniſtram pręter fluebat fluuius nomine chryſus. Eius ſtatuerunt deriuare fluentum, & in aquam ſanctam immittere, vt in hac congreſſione cum aqua fluuij aqua illa diuina admixta, non amplius haberet eandem operationem, ſed perderet virtutem curationum. Atque hęc quidem illi, & ab eis deinde conuertitur aqua fluuij vt immittatur in aquam ſanctificatam. Illa
autem

autem (ô Dei virtutem & inanem impiorum laborem!) non vt contendebant, fluxit ad ſiniſtram, ſed conuerſa eſt in contrariam partem: quomodo etiam in hodiernum vſque diem cernitur aqua fluere, poſtquam autem res eis aliter ceſſit, & iniquitas, vt cum diuino dicam Dauide, ſeipſam fefellit, eis ſecundum quidẽ ſuggerit maius priore ſeminator zizanorũ, hoſtis humani generis cõſilium: Ego autem id narrabo ex alto repetens. Duo quidẽ alij fluuij originẽ habentes in orientem, quorum alter quidem lycocaper, alter verò cuphus vocabatur oſtijs quidem à ſe inuicem diſtantes ſacrum illum locum tranſmittebant, confluentes autem ad montis radices, & ambo vnus effecti fluebant per lyceam. Suggerit ergo malignus ijs qui armabantur aduerſus pietatem, & perſuadet vt immittant fluuios aduerſus ſanctum locum, vt non ſolùm diuinam illam aquam, ſed ipſum etiam locum cum templo fluuij attraherent. Erat enim locus vſque adeo decliuis, & concauus, vt non ſolùm facilè, ſed & celerrimè videretur futurus deorſum aquæ lapſus. Magna ergo manu congregata Laodiceæ (eſt autem hæc inſignis vrbs Liciæ) conueniunt,

niunt, deinde accedunt ad rupem, quæ eſt prope templum. Erat autem rupes adeo alta & tantæ magnitudinis, vt ad eam perfectè pertingere ne póſſet quidem oculus. Illi verò primùm illinc incipientes maximam foſſam fodiebant inter fluuios, & petram. Poſtquam autem ſatis effoſſa eſſet foſſa, cauant locum vſque ad profundum terræ ſinum, in quem conabantur deriuare fluuios, & eum ſepi circundant quod erat laborioſiſſimum, vt repente quidem aqua illic cogeretur, deinde ſepi repente rupta, celerior eſſet aquæ deſcenſus. Interim autem dum iſti multiplices, ac varias conſtruebant machinas aduerſus locum ſanctum, Dei famulus Archippus in nudo ſolo iacens Deum acriter rogabat, & pro viribus ſupplicabat, vt ſacer ille locus appareret potentior inſidijs inimicorum, & in Deo, dicebat: confido, qui me ſaluum facit à puſillanimitate & tempeſtate quod non ſinet domum ſuam, videre interitum. Cùm decem itaque dies interceſſiſſent, illi quidem ſepem aquæ diruunt circa initium noctis. Vt in Archippum nequaquam prouiſurum & cauturum aqua irrueſas, ipſum quoque ſimul cum aqua obrueret. Et ſtantes ad ſiniſtram

niſtram exſpectabant ſancti loci, quæ mox videbatur futura, ſubmerſionem. Dei autem ſeruus Archippus poſtquam ſenſit fluuios deſcendentes, cepit flere vehementiùs, & precari intentiùs, extulerunt fluuij voces ſuas, Extollent fluuij fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum. Cùm ſic ergo affectus eſſet Archippus & ſic præclarè vacaret orationi, diuina viſio deſuper aduolans modo quodam arcano, eum vocauit nominatim. Et ille quidem è templo egreſſus, continuò cecidit pronus, vt cuius oculi non ferrent ſecurè ſe ad tale applicari ſpectaculum. Ea autem illi dixit: Surge & & veni huc ad me, & Dei virtutem videbis inexpugnabilem in his aquis, quæ vehementer confluunt. Cum itaque beatus conieciſſet Archippus, hunc eſſe magnum illum cœleſtis militiæ principem, ſtetit quidem vt ei iuſſit, ad eius ſiniſtram, ſtatim autem vidit columnam ignis, quæ à terra pertingebat vſque ad ipſum cælum, & vocem illinc audiuit, quæ eum iubebat eſſe bono animo, & non timere. Deinde ad ipſos

os quidem aqua proceſſit. Cum ille autem
nanum ſuſtuliſſet, & crucis ſignum for-
naſſet, & loco ſtare iuſſiſſet fluuios (quan-
a eſt ô Chriſte multitudo virtutis tuæ?) vi-
erunt eum aquæ, vt pſalmicè dicam, & ti-
nuerunt: & tanquam murus repente con-
reuerũt. Cum ille autem rurſus ſuſtuliſſet
exteram, & in rupe, quæ erat propè tem-
lum, figuraſſet ſignum crucis, repente eru-
it tonitru, & terra valde contremuit: &
erræ motu quidem fiſſa fuit petra: ille ve-
ò cum valida rurſus in eam arma torſiſſet,
empe terribile ſignum crucis: conteratur
uidem ſic, dixit, omnis virtus aduerſarij:
ateat autem ab omnibus malis liberatio
s qui accedunt fideliter. Cumq́ue ſic di-
iſſet, iubet Archippum tranſire ad dexte-
m. Cum is autem ad dexteram ſtetiſſet &
iuſſui ſtatim paruiſſet, militiæ princeps ma-
ma & clariſſima voce iuſſit fluuijs dicẽs:
hoc infundibulum de cætero infundi-
ini. Re autem ſic admirabiliter, & contra
pinionem facta, vt iuſſerat diuinus Ar-
angelorum quidem princeps Michael,
ntinuò ab Archippo auolans, reuerſus
t vnde deſcendebat, & ad primam lucem
cedit, qui ipſe quoque eſt lux perfecta &
illo

illo admirabili, & qui naturam ſuperat, ſplendore fruitur. Dei autem ſeruus Archippus ab illo tempore in templo permanet, intentiùs & ardentiùs ei preces fundens. Sed ille quidem cum annos vixiſſet ſeptuaginta, hac vita relicta ad ſuum redit dominum circa annum 250. tanquam bonus quidam Agricola, pulchrorum horum virtutis ſeminum mercedem accepturus. Miracula autem in hodiernum vſq; diem fidelibus ſcatent vberiùs, interceſſionibus ipſius Michaelis principis incorporeorum: gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti cum quo Patri gloria ſimul cum ſancto Spiritu nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Hæc metaphraſtes de iſtis S. Michaelis cum B. Archippi geſtis miraculis, quæ etiam à Pantaleone in encomio commemorantur. In epiſtola autem D. Pauli ad Coloſ. fit mentio Archippi alterius, qui eius fidem nunciaret, vnde hic nomen ſuum accepit.

CAP.

CAP. XVI.

Fuiſſe in prædicto loco S. Michaeli templum erectum, & de eadem apparitione, deque fœlici Emmanuelis imp. ad illud templum aduentu.

EX præfixa Metaphraſtis narratione clarum euadit poſt Laodiceni curatam filiam, templum inſigne fuiſſe extructum ipſi militiæ principi Michaeli Archangelo, id quod poſtea aboleri, aut abſumi non potuit cùm in eo Archippus ſanctiſſimam vitam duceret paganis nil non contra molienribus. Quod autem plurima ibi facta vbertim fuerint miracula, poſtea vſque ad ſua tempora, idem Metaphraſtes refert, qui vixit circa annum Domini nongenteſimum ſecundùm aliquos, aut iuxta alios, circa annum milleſimum trecenteſimum. Vide infra c. 26. De eadem apparitione Chonenſi, vt rectè Baronius notauit, agunt Græci in Menologio 8. Idus ſeptembris anniuerſariam ſolemnitatem, cuius & meminit Emmanuel imperator in ſua conſtitutione de ferijs his verbis

ad

ad ſupradictam narrationem omnino confirmandam appoſitis, quæ verba Photius in Nomocanone tit. 7. de feſtis ſic refert: Menſis ſeptembris ſextus (dies ſcilicet) eſt etiam feſtus, quoniam tunc per infundibula ſummi ducis Michaelis miraculum prodigioſum peragitur. His eſt conforme quod apud Nicetam Chomatem reperi, quod Emmanuel imperator ſtatim in initio ſui imperij ex Armenia reuertens, Chonas quoque venit, vbi Archangeli ædem ingreſſus, fauſtam imprecationem ab Epiſcopo Chonarum Niceta accepit, qui ei & de eius imperio, & quod fratrem Iſaacum vinceret, prædixit fol. 27. Idem Emmanuel Imperator moturus contra Perſas vrbe digreſſus per Phrygiam, & Laodiceam Chonas, olim Palaſſas vrbem magnam & beatam patriam meam, inquit Nicetas fol. 22. peruenit, & ædem Archangeli, magnitudine, pulchritudine, & mirabili artificio inſignem ingreſſus &c. Et vt videas quo fructu: Etſi amiſit victoriam, & in extremis ſæpe fuit periculis; vt habetur poſtea fol. 23. tamen pugnando fortiſſimè, & ſtrages mirabiles edens diuina, angelicaque virtute ſaluus euaſit, & per Chonas, & Philadelphiam

tandem

tandem in vrbem eſt regiam reuerſus; ac eadem quoque deuotione tandem in Ponti faucibus, loco, qui Cataſcope dicitur extruxit monaſterium archiducis Michaelis nomine multis attributis poſſeſſionibus. fol. 25.

CAP. XVII.

De Mengapha rebelle, & huius templi violatione.

IDem quoque Nicetas Chomates ſub Iſaaco Angelo Imperatore agens de Mengapha rebelle, qui regnum affectauerat; quod elapſus ad Caiſchoſroen Iconij Sultanum profugus, licet auxilia contra Romanos non impetrauit, literas tamen obtinuit, quibus concedebatur, vt Turcas liberos, qui arcu & pharetra freti Romanos deprædarentur, aſciſceret, qua ratione cùm non paruas copias contraxiſſet, ciuium ſuorum mancipia, & iumenta abduxit, & Phryges Laodicenos innumeris cladibus affecit; vt & populares meos Chomatas (inquit) areis eorum æſtiuo tempore incenſis, & hoſtilem in modum obuijs

quibuſcunque tractatis. Nam vt non dicam Turcas ob clementiam in finitimos Chriſtianos ab eo obiurgatos eſſe, & facta in Cariam impreſſione multos inde captiuos abducendos Turcis eſſe datos, Michaelis quoque Archiducis templum opus maximum & celeberrimum, quod elegantia, & pulchritudine diui Motij martyris ędem in vrbe imperatrice ſuperabat, incendi paſſus eſt. Hoc autem templum in Chonis ad extremum tandem quis violauerit, idem author exprimit his prope verbis. Pſeudoalixius, qui ſe Manuelis filium iactabat, Chonis celebre templum Archiducis cœleſtium copiarum Michaelis violauit Perſis inductis, Nec ſpectare pernicies humani generis dubitauit, Chriſti, & ſanctorum imagines calculis varij coloris expreſſas aboleri, & ſacros poſtes ſecuribus & malleis reuelli, & ſacroſanctam menſam prophanari, & humi abijci. Is autem (ea eſt diuina vltio) haud diu poſt dormiens, à quodam præſbytero fuit iugulatus. Idem fol. 48.

CAP.

C A P. XVIII.

Apparet S. Mercurio martyri, & eius imago in cruce S. Procopij cum alijs duabus diuinitus efformatur.

QVàm autem frequens ab eo tempore in oriente fuerit apparitio & cultus Diui Archangeli Michaelis, conſequenter, prout res ſe dabit, declarabimus. Vt enim Baronius; Nam qui, inquit, vniuerſalis Eccleſiæ à Deo patronus, atque protector eſt inſtitutus, idem virtute miraculorum voluit vbique clareſcere.

Decio imperatore contra barbaros profecto, ſtrenuo, ac forti viro S. Mercurio martyri, qui tum miles erat legionis Martenſium ſub prima Armenia, vir quidam ingentis magnitudinis apparuit indutus albis veſtibus in dextera manu tenens rompheam, & ei dicens: Ne timeas, nec formides; ſum enim miſſus vt tibi opem feram, & te reddam victorem, accipe ergo hanc romphæam, & irrue in barbaros, & cum viceris, ne obliuiſcaris Domini Dei tui. Accepit, & vicit, & poſtea ei rurſus idem appa-

rens prædixit certamen & coronam Martyrij. De quo videri poteſt Surius in actis eius menſe Nouembri.

In actis S. Procopij, quæ habentur in 2. Concilio Nycæno, refertur quod is Neamias ante dictus, re benè geſta ſub Diocletiano Imperatore, venit Scythopolim, vbi omne ſodalitium aurifabrorum, & argentifuſorum conuocans interrogauit eos dicens; poteſtiſne mihi facere vas aliquod, quod ego tradam vobis. Illi verò hominis auſteritate deterriti, communi conſilio ſtatuerunt apud illum vnum ex omnibus, quem optimum ex artificibus (nomen illi Marius erat) dicentes, Si quis eſt, qui voluntati tuæ faciat ſatis Domine, hic erit. Marius autem nequaquam obedire volebat iuueni, ſed is tandem ei perſuaſit dicens: Hoc myſterium nunquam regi ad vitam reuelauero, agebat enim cum eo, vt crucem quam ferret ad collum ſuſpenſam, ex auro, argentoque conficeret. perſuaſus itaque Marius in abſentia ex auro, argentoque noctu crucem fabricauit. Cum autem opus conſummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt: Scriptum erat autem Hebraico dialecto in ſuperiori parte: Emmanuel,

manuel, & vtrinque in ſummitate alarum, Michael, Gabriel. Voluit autem Marius ſibi timens extinguere imagines, verum non potuit: confeſtim enim manus eius ſicca permanſit. Sub gallicinium autem dux, qui dicebatur Neamias, ad ædes Marij, vt crucem auferret, properat: Videns autem illam protinus adorauit. Ait autem ad Marium, quæ ſunt eæ perſonæ, quæque hęc inſcriptio? Domine (is inquit) in qua hora crux à me erigebatur, imagines iſtæ per ſe enatæ ſunt, neque ego cognoſco, quænam hæc, aut cuius ſit inſcriptio. Neamias autem cognoſcens virtutem quandam in eis eſſe, adorata cruce Mario artifici copioſam mercedem ſoluit. Vide Surium 8. Iulij, & Baronium tom. 2.

CAP. XIX.

Apparet S Clementi Epiſcopo Ancyrano tradens ei panem, & calicem, & S. Iulianæ iubet draconem apprehendere.

SVrius in vita S. Clementis Epiſcopi Ancyrani Martyris admirandi, In media inquit verò luce, erat vir quidem

aſpectu valdè alacer, ſplendida autem veſte indutus, qui ipſe quoque erat lux totus quantus pennis inſignis denſiſſimis. Is cum ad eum (S. Clementem) acceſſiſſet, ei in manus tradidit panem, & calicem fol. 537. Idem in vita S. Iulianæ Virginis, & Martyris, quæ iuſſa fuit apprehendere dæmonem ſe infeſtantem, cùm eum iuſſiſſet vera dicere quis eſſet, is dixit ſe à Sathana miſſum & ſe eſſe vnum ex prauis eius dæmonibus, qui Æuam, qui Cain, qui ſtatuam Nabuchodonoſor, qui Herodem, Iudam, lapidatores Stephani, idola Hebrȩorum, Salomonem &c. concitaſſet. Vnde ex aduerſo colligere eſt cœleſtem illam iuſſionem, & cætera dictis diaboli molimentis contraria Diuo Michaeli primo eius antagoniſtæ tribui poſſe.

CAP.

CAP. XX.

Adeſt S. Alexandro militi, & carnificem ac tyrannum terret, & de templo eius in Soreis.

IDem Surius in actis S. Alexandri militis, qui regnante Maximiano, ſub Tyberiano, & fœlice tribuno eſt paſſus, refert quod is orabat his verbis: Gloria ſit tibi Domine Ieſu Chriſte, qui Archangelum Michaelem in Babylonem miſiſti, & tres illos pueros ab ignis fornace liberaſti fol.241. Item fol.245. Domine Ieſu Chriſte mitte angelum tuum, & accipe animam meam, quia nihil amplius ferre poſſum. & fol. 247. Quæcumque petijſti omnia faciam, neque quidquam denegabo. iam verò veni, & cum patribus tuis requieſce, paratum enim eſt tibi regnum cælorum, teque Michael Archangelus excipiet coronam recepturum, quam commeruiſti.

Carnifex autem videns angelum aſſiſtentem, percutere non eſt auſus, inquiens, video quoſdam terribiles circa te ſtantes. Martyre autem orante angeli parumper ab

eo ceſſerunt, & cùm cæſus fuiſſet, animam ad cælum extulerunt. Sed nec illud prætereundum quod prius dictum oportebat; nempe quod cum Tyberianus cubaret, qui Alexandrum iam ante crudeliter torſerat; aſtitit illi Angelus Domini valde terribilis, qui gladium tenens, Tyberiane, inquit, aduerſum te ego veni, quoniam cũ Alexandro Dei ſeruo tam iniquè te geris, vt videas, ac ſcias quàm facilè hoc gladio te interficere poſſim. Surius in Maio fol. 243.

Sanctus Antoninus Martyr, & Epiſcopus dum perſecutionem Diocletiani conſultò fugit, multis ille locis propagauit verbum Dei, ac tandem venit in Bithyniam in locum, cui nomen erat Soreæ, vbi Dei oratoria æde ædificata, quæ dedicata eſt Michaeli principi. In eo ordinat Cornelium dignitate diaconatus ac inde Lycaoniam, & Iſauriam cum peragraſſet, reuerſus eundem Epiſcopum fecit. Denique cum myſticũ celebraret miniſterium in oratorio, quod (vt habent acta apud Surium in ſeptembri) erat Soreis, martyrio affectus fuit, & illic circa Soreas, & Limnas ſepultus, Iudexque oculum amiſit. Reliquiæ eius poſtea ſub Zenone, & Anaſtaſio imperatoribus ipſo apparente fuerunt inuentæ.

CAP. XXI.

In Martyrio S. Paphnutij Chriſtus inter S. Michaelem, & Gabrielem apparet, & eius corpus readunatur.

SVb eodem Diocletiano mirabile, ſi quod, meo iudicio, aliud eſt, fuit martyrium S. Paphnutij Eremitæ martyris, & certamen: cùm enim diu, & ſæpe, quæ vix credi poſſint, paſſus ſuiſſet, & egiſſet pro fide, & gloria Ieſu Chriſti, ab irritato tyranno in quatuor partes ſecatus fuit, & quatuor partes corporis in altiſſima turri ſuſpenſæ: Chriſtus medius inter D. Michaelem, & S. Gabrielem apparens hunc à ſiniſtra, illum à dextra, corpus martyris readunauit; eumque de turri depoſitum ad Tyrannum Arianum viuum remiſit vt eius impotentiam argueret, & inuincibilem Chriſti maieſtatem declararet. Paſſus autem poſt fuit, vt eſt apud Surium, ſub Diocletiano, ad quem Arianus præſes eum remiſerat, nempe crucifixus in palma arbore. Sæpe autem antea in tormentis illi adfuerat Angelus Domini, credo S. Michael

de

De quo proinde ac S. Gabriele Metaphraſtes apud Aloyſium fol. 15. Nam per hos, inquit, duos Michaelem & Gabrielem deſcendit datio bona, & omne donum perfectum, quod deſuper mittitur in terram à Deo omnipotente: hæ enim ſunt duæ maximæ, & paris momenti diuinatis lucernæ (quæ eſt principium luminis, & eſt vnica, & trina) & quæ non occidunt luminaria totius orbis terræ, quę eſt ſub cælo: myſtæque arcanorum, & ad futurorum introducentes myſteria.

CAP. XXII.

De Soſthenio.

AB Aſia nunc in Europam, ac Thraciam ſermo eſt transferendus, Sed prius quis locus Soſthenium ſit, eſt dicendum. Neque enim in vocabularijs exprimitur, licet apud authores diuerſos non rara eius fiat mentio; vti Nycephorum Caliſtum l. 7. c. 50. Eſt autem locus in traiectu, ſeu tranſitu ἐν τῳ ἀναπλῳ hoc nomen ſortitus ab Argonautis; & poſtea Michaelium, ſeu Michaele dictus; vt etiam Sozomenus ſcribit

ſcribit lib. 2. c. 2. Eſtque, inquit, nauiganti ex Ponto Conſtantinopolim ad dextram poſitus (& ſic in Thracia) atque abeſt, inquit, ab vrbe, ſi naue traijcias circiter 35. ſtadia, ſi autem ſinum, qui interiacet, pedibus aut equo vndique circuire velis, 70. Michaelium autem is locus dictus eſt, ait Sozomenus, ex eo quòd pro certo creditur Diuum Michaelem Archangelum ibi apparuiſſe; atque ita ſe habere, argumento præterea eſſe poſſunt multæ aliæ res, quas compertum eſt, ibi geſtas eſſe, de quibus infra. Quomodo autem ab Argonautis Soſthenium ſit dictus is locus, explicat Nicephorus eodem loco, neque pigebit referre, etiamſi grauis noſtri temporis ſcriptor ſilentio eam narrationem in alijs ſatis fusè ſe ſolitus extendere prætererierit. Verba ſunt: Mihi verò, inquit, moleſtum non fuerit hiſtoriæ huic inſerere earum ſtructuram (de duabus Eccleſijs intelligit diuo Archangelo ibi erectis, vt infra dicetur) ſeriem, & vnde loco ei Soſthenij nomen ſit impoſitum: Memoriæ namque proditum Argonautas Græcorum cum ad eum locum perueniſſent, prædari, atque diripere eam regionem cœpiſſe, & ab Amico, qui rerum

rerum ibi tunc potiebatur, in fugam verſos, palantes in quemdam nemoroſum & incultum propter denſitatem arborum locum profugiſſe, ibique eis latitantibus virtutem cœlitus adueniſſe, viri ſpecie, alas veluti aquilæ in humeris habentis; victoriamque aduerſus Amicum oraculo denunciaſſe; illos porro id ſecutos cum illo conflixiſſe, victoriam reportaſſe; ipſum vna cum copijs ſuis concidiſſe; Atque, vt gratiam ei viſioni referrent, fanum eos, & ſtatuam ea, qua eis apparuerat forma, in loco eo excitaſſe, nomenque regioni, ſoſthenium indidiſſe, quod ſcilicet robore ibi accepto ſalui euaſiſſent. Hactenus Nicephorus. Ne verò ea fabuloſa videantur, & indigna hoc loco, ex his, quæ ſubiungo, fides fiet; Refert enim D. Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus in ſua oratione de iubilæo anni 1600. in fine haud abſimilia de Argonautis, qui poſt victoriam de Cirico famoſa ciuitate templum vnum ſuperbum ædificauerunt, cuius inquit, meminit Plinius lib. 36. cap. 15. Procopius Martyr apud Metaphraſten & Cedrenus in ſua hiſtoria, quem etiam Cedrenum de eadem re citat Boſius in lib. de notis Eccleſiæ fol. 683. Conſulto

ſulto autem Apollinis oraculo, cui id dicaretur, reſponſum fuit, quod Mariæ, quæ virgo erat paritura. Id reſponſum curauit literis æneis in tabula marmorea inſculpi, ac ſupra templi portam poſuerunt; id quod demum tempore Zenonis Imperatoris diuæ Virgini fuit conſecratum. Vnde colligo non mirum ſi Argonautæ ijdem & diuo principi militiæ cœleſtis Archangelo ſtatuam quoque poſuerunt. Vide Surium in vita S. Procopij. In hac regione apud Soſthenium ſtetiſſe ducem Gainam Arianum arbitror, ad quem ab Arcadio Imperatore D. Ioannes Chryſoſtomus legatus tractandæ pacis gratia miſſus eſt: Necnon & Vitalianum ducem pro catholicis contra impium Imperatorem Anaſtaſium ſtantem. Nam, vt Paulus diaconus li. 15. peruenit, inquit, prædas agendo Byzantium, parcens autem ciuitati, apud Soſthenium caſtrametatus eſt.

Eutropius quoque lib. 21. de Saracenis loquens, qui ſub Leone patre Copronymi Conſtantinopolim inuaſerunt, & quorum claſſis ope diuina incenſa fuit, & partim diſperſa remota per imperatorem cathena à locis Galathi, ipſi dolum ſuſpicati non auſi

auſi fuere intrare, vel applicare vſque ad ea, quæ dicuntur Galathi, ſed nauigantes, inquit, ad ſinum Soſthenij illic munierunt nauigium ſuum. Ex quibus proinde locum iſtum celebrem ac famoſum fuiſſe ob res ibi bellicas fœliciter geſtas, ſatis apparet.

CAP. XXIII.

De apparitione eiuſdem Imperatori Conſtantino magno facta.

OCcaſio ex Zozomeno eſt intelligenda lib. 2. c. 2. Cùm enim Conſtantinus magnus Imperator nouam vrbem nempe ſeptem, aut octo circiter annis ante mortem animo agitaret ſibi propriam (omnia enim proſperè illi cedebant) venienſque ad campum ante Ilium poſitum iuxta Helleſpontum ſuper Aiacis tumulum, vbi Argiui contra Troiam pugnantes caſtra habuerunt, ciuitatem deſignauit, portaſque fecit, quæ hactenus videntur à nauigantibus. Hæc agenti per noctem Deus apparuit monens vt alium quæreret locum, eumque monens ad Byzantium Thraciæ, ibi habitare iuſſit. Ita Sozomenus.

menus. Sonaras autem explicatiùs de his ſcribens: Cùm autem, ait, Sarmatæ, & Gothi prouincias Romanas inuaſiſſent, & Thraciæ partes vaſtarent, Conſtantinus Maximus contra eos inſurgit, ac Thracia occupata, commiſſoque prælio victis barbaris ſplendidiſſimum triumphum conſequitur. Vrbem porro ex oraculo de ſuo nomine conditurus, primum in Sardica extruere in animo habuit, Deinde in Sigæo promontorio Troadis, vbi etiam fundamenta ieciſſe fertur. Denique Chalcedone opere inchoato aquilas deuolaſſe memorant, fabrorumque funiculos raptos freto ſuperato iuxta Byzantium deieciſſe. Quod ſæpius factum & imperatori denunciatum, cum non temerè eſſe, ſed à Numine portendi aliquid videretur, ipſe Byzantium ſe confert locumque contemplatur, mutat conſilium, fabros Chalcedone illuc transfert; vrbem ſtudioſè condit; à ſe Conſtantinopolim vocat, & matri Dei conſecrat. Ita Sonaras: Nunc proſequimur. Cum itaque Conſtantinus in Thracia agens, & in eam oram (vt Nicephorus ſcribit) neceſſaria de cauſa diuertens ſtatuam illam ab Argonautis poſitam vidiſſet, familiaribus comi-

mitibuſque ſuis rem talem expoſuit, regionemque eam cum ſtupore admiratus ibi manſit. Somni verò capiendi tempore aſſiſtens illi viſio ſtatuæ eius ſimilitudine; Ego, inquit, ſum Michael Archidux Domini Sabaoth virtutum Chriſtianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli & germano illius miniſtro auxiliaria arma contuli. Itaque è ſomno excitatus regionem illam pulcherrimè excoluit, & ara imperiali, magnificaque manu, & liberalitate in parte orientali conſtructâ, celeberrimum id templum ciuibus ſimul & aduenis reddidit, maximè tamen ſacram eam ædem apparitionibus ſuis illuſtrauit Archangelus. Concordat cum his Sozomenus dum de Conſtantino loquens, eam, inquit (Conſtantinopolim ſuam) multis, maximiſque Eccleſijs ornauit, cuius propenſo ſtudio Deus ipſe opem tulit, & viſionibus quibuſdam confirmauit Eccleſias in ea vrbe ædificatas ſanctas, ac ſalutares eſſe; ex quibus eam quæ in loco, qui ἱϛα .i. Veſtæ ſacer, olim dicebatur, ſita in maximo honore tum à peregrinis, tum à ciuibus ex illo tempore habitam fuiſſe conſtat. Et ſic pro templis Æſculapij erectæ

ſunt

ſunt Eccleſiæ Chriſtianorum, in quibus maiora, & certiora quoad morbos miracula edebantur. Idem tamen locus iam Michaelium nominatur; eſtque, nauiganti ex ponto Conſtantinopolim ad dextram poſitus: loco verò iſtud nomen eò impoſitum eſt quòd pro certo creditur D. Michaelem Archangelum ibi apparuiſſe, atque ita ſe habere, argumento præterea eſſe poſſunt multæ aliæ res, quas compertum ibi geſtas eſſe: Nam nonnulli in graues caſus ac pericula, è quibus nullo modo poſſent emergere, alij in morbos & perturbationes corporis incognitas delapſi, ſimul ac in eodem loco Deum deprecati eſſent, calamitatibus, quibus ducebantur, penitus liberati ſunt.

CAP. XXIV.

De miraculis alijs ibi factis. De miraculoſa Aquilini ſanatione.

VErùm (pergit Sozomenus) quo pacto iſta, & quibus hominibus euenerunt, ſigillatim perſequi longum eſſet. Quod etiam ipſe equidem, ait: non

paruum in eo loco beneficium adeptus, veriſſimum eſſe confiteor. Attamen quod Aquilino nobiſcum, etiamnum ætatem degenti, & in eodem foro cauſas agenti, eodem in loco acciderit, partim ab eo audiui, partim, vt ipſe conſpicatus ſum, iam opportunè commemorabo: Cum enim vehemens febris, eaque paulò ardentior ex flaua bile orta eum occupaſſet, medici dedere illi bibere medicamentum ad aluum purgandum, quod quidem euomuit; atque ſimul cum euomitione bilis in omnes partes corporis diffuſa cutis extremitatem coloris ſpecie ſibi tinxit: ex quo factum eſt, vt omnem cibum euomeret, ac potum. Vbi autem longo temporis ſpatio illud perpeſſus fuerat, & nihil alimenti in ſtomacho conquieſcebat, de morbo curando medici deſperare cœperunt; ac cùm iam ſemimortuus eſſet, dat ſuis mandatum, vt eum in Eccleſiam deportent, affirmatque ſe ibi aut mortem obiturum, aut morbo liberatum iri. Cui in Eccleſia iacenti viſio quædam diuina obiecta iubet vt cibum potione, quæ ex melle, vino, & pipere pariter miſtis conficeretur, tingeret. Quæ quidem potio cum eſſet calidiſſima, quamuis

uis medicis eam ex artis ratione conſiderantibus, morbis è flaua bile contractis contraria videretur, hominem tamen morbo recreauit.

CAP. XXV.

De curatione Probiani, & quod crucis effigiem in viſione illi exhibuerit.

ACcepi porrò Probianum vnum ex ſatellitibus, qui imperatorem in palatio ſtipabant, cùm dolore pedum grauiter affligaretur, in eo loco etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam, ac diuina viſione dignatum fuiſſe. Nam iſte cùm initio gentilis eſſet, poſtea tamen factus chriſtianus, quanquam alia omnia religionis noſtræ inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen crucem ſalutis omnium cauſam extitiſſe, neutiquam admittere voluit. Cui ſic animo affecto viſio diuinitus oblata quandam crucis effigiem, quæ in altari iſtius Eccleſiæ ſtatui ſolet, ante oculos propoſuit, declarauitque manifeſtè, res quæcunque à tempore, quo Chriſtus in crucem actus erat, vel ad vtilitatem huma-

humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, ſeu à diuinis Angelis, ſeu à pijs, & perfectis hominibus geſtæ fuerunt, non ſine virtute crucis ſalutaris rectè geſtas eſſe. Sed quoniam opportunum minimè ſuppetebat ad ea omnia recenſenda, quæ in hoc templo geſta eſſe cognoui, iſta ſolum commemorare, conſilium fuit. Ita ille. Hoc autem miraculum accidiſſe in altari ædis Conſtantinopolitanæ ſancto Michaeli dicatæ, dicit Bozius agens de ſignis Eccleſiæ.

CAP. XXVI.

De Martiano templi Archangelici Cærifero.

IDem autem Pantaleon, de quo ſuprà diximus, & hæc refert his verbis: Mentem autem impellit, & mihi animum excitat eximia gratia, & virtus diuini ordinum ductoris ſupernarum poteſtatum, & ducit ad narrandum vnum ſolum eius miraculum: vincitur enim, & caligat omnis vis dicendi intuens ad altitudinem, & multitudinem, & excellentiam infinitorum, & vario-

variorum, & omnis eius generis miraculorum, & recuſat omnino de ijs ſcribere. Deficiet enim planè tempus nos, vt diuinus ait Apoſtolus, narrantes, Eſt enim Pelagus, metiri facilius, & ſtellas numerare, quàm maxima, quæ à maximo incorporeo quotidie in nos fiunt miracula.

Tempore Michaelis Imperatoris (is imperare cœpit anno 842. vnde notatur quod Pantaleon fuerit poſterioris ætatis, ſcilicet poſt hunc annum vti & Metaphraſtes) & Theodoræ eius matris erat vir quidam nomine Martianus, qui à teneris vnguiculis fuerat Cærifer venerandi huius templi. In ipſo enim diuino & venerando pulcherrimo Archãgelico templo omnes, qui mari agitantur & accedunt in fide, & ex intemerata illa eius imagine bibunt vnguentũ emanans, omnis generis morborũ ſtatim aſſequũtur, quæ ſperatur, curationẽ. In hoc ergo diuino, & religioſo templo aſſiduè perſeuerabat prædictus Martianus Archangeli Cærifer vſque ad ſenectutem cum magno amore, & fide; neque vnquam opus habuerat medico, ſed ſimul atque aliquando incidiſſet in vllum morbum, protinus procedebat in dicto templo ductoris

 ordi-

ordinum Michaelis, breuiq́ue ſanus redibat in domum ſuam propter totam ſuam in eum affectionem. Cùm eum ergo aliquando grauis morbus,& planè deſperatus inuaſiſſet, iacuit in inferiore parte templi Archangeli aliquot dies, cum ſtabili & firma in eum fiducia. Cùm plurimi autem amici, & medici ad eum congregarentur, & dicerent alij alia, quæ ad eius pertinebant curationem, ipſo verò ne eos quidem omnino de his audire ſuſtinente, auſus eſt vnus ex medicis facere ea, quæ dicuntur fomenta: & iuſſit ijs, qui miniſtrabant ipſi, vt vellet, an non ei mederentur ante matutinum. Cum autem fomenta compoſuiſſet medicus domum redijt. Illa autem nocte Martianus cùm à ſe veluti diſceſſiſſet, & eſſet in ecſtaſi, quomodo & vir hic pius narrauit, & ſubſecutum argumentum oſtendit veritatem, omnes templi portas vidit repentè apertas, & ad lauacrum, quod extabat, virum terribilem cum impetu è cælo equitem deſcendiſſe. Cum is autē ex equo deſcendiſſet in purpureo, quod illic erat, marmore, ingreſſus eſt templum plurimis ſtipatus, tanquam præpoſiti veſte indutus, & impletum eſt vniuerſum tēplum odore
inef-

ineffabili. Paulò pòſt verò cùm acceſſiſſet ad lectum Martiani, finxit ſe ea attrectare, quæ erant in ſcamno, & rapere quæ in eo erant poſita ad alimentum, & vſum, & cùm inueniſſet in catino, ea, quæ dicta ſunt, fomenta, ea accepta tulit ad Martianum rogans quid hæc ſibi vellent, & quiſnam eſſet, qui ea temerè feciſſet in domo ſua? Cum is autem reſpondiſſet cum tremore, dixit ille terribilis, & glorioſus duobus ſatellitibus ſuis. Tollite ea, & euntes quàm primùm perforate caput eius, qui me contempſit, & ipſa in id inijcite. Cumque intinxiſſet ſummum digiti in candelam, quæ impendebat eius mirabilium rerum effectrici imagini, ſignauit caput Martiani oleo ſancto in ſignũ crucis, & ex Eccleſia egreſſus, equo rurſus conſcenſo ſublatus eſt in cælum, ſtatimq; clauſæ ſunt omnes portæ Eccleſiæ, ita vt quoquo modo videri non potuerit. Martianus autem magno timore affectus, & animo anxius vſque ad matutinum propter terribilem viſionem, accerſijt presbyterum Eccleſiæ, & narrauit ei omnia: tum presbyter cum quæſijſſet, quæ à medico parata erant fomenta, nec inueniſſet, Martiani quoque caput animaduertiſſet, & vidiſſet ſan-

 ctam

ctam crucem in eo per ſanctum oleum expreſſam, obſtupefactus abijt quàm primùm ad medicum vt ei narraret omnia, & conſuleret, vt ipſe quoque peteret veniam ab ordinum ductore Michaele de ijs, quæ ipſe admiſerat. Cùm autem veniſſet presbyter in domum medici, inuenit illic multitudinem innumerabilem, & luctum, qui non poterat comprimi, cognatorum, amicorũ, & eius ſociorum, qui omnes deflebant repentinum, & non priùs animaduerſum lethalem eius morbum, ipſum autem iacentem in medio omnium totamque faciem eius poſtulatam, clamantemque grauiter, & magna voce eiulantem: Miſeremini mei qui Deum timetis. Scindite Chriſtiani caput meum, non enim fero dolores. Poſtquam autem audiuit à presbytero verba terribilia, quæ audiuerat à Pio Martiano, tunc intellexit medicus eſſe plagam dignã ſua audacia, & ſtatim acerbè exclamauit: Ego ſum cauſa grauis huius meæ mortis, ſed me tollite, & abducite, & iacite in ſanctam ædem eius, & ſi quid iubet eius miſericordia, faciet in me indignum ſuum ſeruum. Portantes autem eum tulerunt vnà cum lecto. Martianus autem cum ſenſiſſet tumul-

tumultum aſcendit, & cùm cauſam reſciuiſſet, ſeipſum conſiderauit & inuentus eſt omnino ſanus. Tunc citò deſcendens de lecto ſuo Deum glorificauit, ſuumque defenſorem, & dominum, & magnum medicum & militiæ principem Michaelem; Rurſuſque egreſſus proceſſit obuiam, & ſuſtulit medicum è lecto, & portauit cum ſuis manibus ſimul cum presbytero, & poſuit eum ante ſanctam aram miſerabiliter deflentem, & confitentem vt ei eſſet propitius ſanctus princeps militiæ. Martianus autem cum per ſe manare feciſſet vnguentum è ſacra illa imagine vnxit caput patrenſis medici: ſtatimq́; fugatum eſt acerbum illud tormentum & ardentes faciei puſtulæ ſunt exſtinctæ, & factus eſt ſanus omnino ſicut prius, glorificans Deum & ſanctiſſimum eius militiæ principem Michaelem. Manſit verò de cætero medicus ille perſeuerans & munificè in eodem templo glorioſo Archangelico toto tempore vitæ ſuæ dominum laudibus extollens, & eum qui fuit velox ad ferendum auxilium & eum defendendum, militiæ principem Michaelem: Hactenus Pantaleon.

CAP. XXVII.

De altero templo apud Soſthenion & alijs templis & locis in vrbe regia.

SOzomenus, quemadmodum ex ſuperioribus patet, de vno tantùm templo facit mentionem: verùm ex Nicephoro & Procopio Cæſarienſi conſtat duo erecta fuiſſe templa. Nicephorus poſt plurimas enumeratas Eccleſias ab imperatore Conſtantino magno apud vrbem regiam & alijs in locis, vti Romæ, Nicomediæ, Antiochiæ, Drepani, Helenopoliq; magnificè erectas, ſed & inquit in traiectu ἐν τῷ ἀνάπλῳ, & in loco eo, qui Soſthenium vocatur, Eccleſias duas Archangelo Michaeli exſtruxit, in quibus ſplendidè exornandis ad Imperialem magnificentiam nihil omiſit. Hæc autem, vt Procopius inquit, ipſa tēpla Imperator Iuſtinianus vi temporis deformata denuò ex ipſis fundamentis reſtituit & littus vtrumque ad Conſtantinopolim ſingulari pulchritudine exornauit: templa autem duo (inquit) Archangelo Michaeli alterum ex aduerſo alteri ad fretum conſtructa

Digitized by Google

ſtructa fuêre. Alterum in regione quæ dicitur ἀνάπλουs, hoc eſt tranſitus, ſiue traiectus in parte dextra pontum Euxinum nauigare incipienti. Alterum autem in littore huic oppoſito, quem locũ veteres προχάυς, hoc eſt, promõtorium, propterea exiſtimo quòd longiùs à littore in fretum procurrit, appellarunt. Et ita quidem Procopius; ſed mihi tamen Soſthenium in Thracia erectũ fuiſſe videtur tam ex Nicephoro quàm ex Sozomeno, dum dicunt oram eam ad dexteram partem ex Ponto Conſtantinopolim nauiganti conſiſtere: vtrumq; tamen eandem vim & gratiam habuiſſe expreſsè teſtatur Nicephorus. Et vt ne hoc quidem omittam, D. Ioannes Chryſoſtomus, teſte eodem Nicephoro l. 13. c. 16. in regreſſu poſt primum ſuum exilium, cùm eum populus impensè flagitaret, neque abſentis deſiderium ferre poſſet, reuerſus ſub vrbe ad tranſitum (in margine, ἐν τῷ ἀνάπλῳ) in regione, quæ Manana dicitur, moratus eſt. Quapropter tanta ſibi impoſita neceſſitate, oppidò quàm inuitus, vrbem eſt ingreſſus, tum nauigantibus Boſphorus repletus eſt, & piſcatorijs nauibus mare contectum eſt, & plebs vniuerſa ſtatim ei obuiam prodijt,

dijt, cereos accenſos ferens, & pſalmodias aptè, & eleganter ad rem præſentem compoſitas concinens, eumque ad Eccleſiam produxit. Iuſtinianus autem primus Imperator non ſolùm ea, de quibus diximus, duo templa reſtituit, verùm etiam diuerſis in locis ſex alias diuo Michaeli erexit Eccleſias ſeu eius in honorem Baſilicas. Vt author eſt Procopius in libro de ædific. Iuſtiniani Imperatoris.

CAP. XXVIII.

S. Daniel Stylites templum S. Michaelis ingreditur & dæmones fugat: & Blaſius Imperator templum in Soſthenio renouat.

HIs adijcere oportet, quæ de S. Daniele Stylite ſunt prodita: is enim (teſte Surio in eius vita) cum ſuum reliquiſſet monaſterium, & ad Mandram S. Simeonis veniens 14. ibi dies tranſegiſſet, eoque hortante, & agente, vt in Thracia ſuperiore viueret aut in ore Ponti, etiam cùm in ſomno appareret, mutato conſilio, (nam ad loca ſancta proficiſci intenderat,) contendit verſus Conſtantinopolim, & cùm

cùm in oſtium ponti eſſet ingreſſus, eum, inquit, excepit templum Michaelis militiæ principis, quod illic pulchrè eſt poſitum, vbi ſeptem dies eſt verſatus. Cum autem audiſſet de alio templo, quod erat ſupra id, quod dicitur Hieron, & qui locus ab incolis nominabatur Filemporus in quo mali habitabant ſpiritus, qui nonnunquam ſubmergebant nauigantes, & inuadebant tranſeuntes, ita vt nemo per diem illæſus inde tranſiret, venit in id templum, & medium atrium ingreſſus Chriſti crucem infert, omnes obit angulos, quærens dæmones, & in vnoquoque eorum flectens genua, &, vt abbreuiem, tandem & ſe ibi incluſit, ſola relicta feneſtra Anthonij exemplo dæmones irritans, & poſt aliquot annos viſo in ſomnis S. Simeone Stylite eum ad colũnam hortante, & ipſe eius recepta pro dono prius cucullа colũnam aſcẽdit. Noſtri autẽ S. Archãgeli deuotus cultor. Sanè & illud dicẽdũ eſt, hoc loco, quod Baſilius I. Imperator Macedo, qui imperare cœpit anno circiter 867. haud diu poſt mortẽ Theodoræ, de qua diximus, renouauit, vt Cedrenus ſcribit Magnũ S. Michaeli in Soſthenio tẽplũ, quod antea tẽporis corruerat.

Qui

Qui author & multa alia loca ſacra ab eodem inſtaurata,& ſtabilita, & ædificata memorat: & vt etiam refert, inſtaurauit templa Palatina Seruatori Chriſto, Michaeli Angelorum principi & Eliæ vati dedicata, & Deiparæ, &c. Sed & Zonaras in eius imperio: Baſilius, inquit, cædē Michaelis prædeceſſoris ſui (is Theodoræ, & Theophyli Imp. filius fuerat, ac eum ex equiſone Cæſarem fecerat) expiaturus, multis in locis vrbis regiæ Archiduci Michaeli noua templa, atque in ipſa regia magnificam,ac ſumptuoſam ædem nouæ Eccleſiæ indito nominē conſtruxit. Id quod & Luitprandus Ticinenſis lib.1. cap. 3. refert: Cùm, inquit, Chriſtus ei apparuiſſet, dicens, cur hunc (Michaelem imperatorem prædeceſſorem ſuum) occidiſſet,pœnitentiam egit,& fabricauit pretioſo, & mirabili opere iuxta Palatium verſus Orientem, Eccleſiam, quam νέον, id eſt, nouam vocant, in honore ſummi, & cœleſtis militiæ principis Archangeli Michaelis, qui Græcè ἀρχιστρατηγός, appellatur; eademque nouennalis dicta fuit, à nouem pulſibus ad horas Eccleſiaſticas &c.

CAP.

CAP. XXIX.

Iſaacus Imp. magnificas quaſque tabulas & alia monumenta in ædem S. Michaelis importat.

ISaacus autem Imperator, qui Andronico abdicare coacto, regnare cœpit anno 1185. aut circiter, vt Nicetas ſcribit, ædem, inquiens, diui Michaelis cœleſtium copiarum Archiducis in portu ſitam inſtauraturus, ſi qua in palatio marmorea tabula ſplendore, & guttarum varietate illuſtris, vel pauimentum tegebat, vel parietes ornabat, eò transferendam curauit. Sed & Archangeli pictas, & fictas imagines, vel in vrbe, vel alijs in locis præſidij cauſa dedicatas vetuſtæ, & admirandæ manus opera in idem templum congregabat. Summum etiam ſtudium adhibuit, vt Monenbaſia transferret Chriſtum, qui in cruce trahitur, opus admirabili arte, & elegantia, quod cruciatus Domini, & Saluatoris noſtri, euidentiſſimè repræſentat. Nec conquieuit prius, quàm eam imaginem dolo abſtuliſſet: Nam apertè citra periculum id conari haud

haud potuiſſet: Æreas portas latas, & altiſſimas, quæ olim magnum Palatium claudebant, & noſtra ætate carcerem, qui inde chalce dicitur, muniebant eodem tranſtulit. Celebrem aulæ ædem, quod nouum monaſterium dicitur, cum ſacro ornatu vaſis omnibus ſpoliauit atque his rebus gloriabatur, & efferebatur magis, quàm quiſquam alius mirabilia opera ſibi laudi duceret, paruam, aut nullam religionis ſpeciem habens: Neque verò Deum iraſci, ſed potiùs gaudere ſi aliud templum priſtino ſplendore priuatum volucribus nidos, & herinaceis foueas præberet; aliud verò inſtauratum peregrinis donarijs, & alienis ornamentis ſplendeſceret. Hæc ille. Ex quibus tamen quanti fieret, & quanto in honore haberetur S. Archangelus, & quanta eſſet in eum protectionis, ac præſidij fiducia manifeſtum ſit.

CAP.

CAP. XXX.

S. Theodorus Archimandrita Baſilicam S. Michaeli extruit & mulierem ibi ſanat paralyticam. Epiſcopus item Cadoſiæ, & alij ſanantur.

PLura de cultu, & templis, ac oratorijs eiuſdem alibi in Oriente colligi poſſunt ex actis S. Theodori Archimandritæ, qui obijt anno 3. Heraclij primi Imperatoris anno ſcilicet 614. cui etiam prædixerat imperij purpuram. is enim diuo Archangelo ad dexteram partem pulcherrimam baſilicam hyemi & æſtati commodam, ac noctu & diu infirmis patentem extruxit, quod antê diuo Georgio priùs oratorium erexiſſet, idque anguſtius eſſet, quàm vt ægrotis aduenientibus, & ſocijs ſufficeret. Poſtea idem fit Epiſcopus Anaſtaſcopolis; ſed eo inde dimiſſo, ad eum locum redijt, & inter alia, vt habetur apud Surium fol. 747. biduóque poſt ad monaſterium profectus, & in Archangeli templum ingreſſus, iuſſit vt ad ſe mulier paralytica (quæ ibi erat) adduceretur, ma-

nuſque ſuas ad gradus cancelli extenderet; & diu pro ipſa precatus accepit oleum lucernæ ſemper ardentis: & cum paralyticæ frontem vnxiſſet, ea fuit ſanata. Item alio tempore, cùm ex monaſterio exijſſet, in Germiorum ciuitatem ingreſſus in Archangeli templo precabatur; & inde rogatus venire ad Metropolim Peſinuntium, cum Æmiliano Epiſcopo, ibi à Georgio Metropolitano ſuſceptus fuit: poſtridie autem ipſi ſupplicantes ad venerabile S. Angelorum templum extra muros peruenerunt. Item poſtea fol. 757. dicitur quod in eodem oratorio Archangeli ſanatus ab eo fuit Epiſcopus Cadoſiæ, qui manus dolore, & articulorum omnium ſolutione laborabat. Cùm enim oleo benedixiſſet, dedit ei vt eo ſe vngeret. Ibidem porro, & alius quidam ſanatus fuit ab immundo ſpiritu, quo vexabatur, & alij. vt ex tabella, quam in veſtibulo templi Archangeli, vbi dormiebat, teſtem miraculi reliquerunt, intelligi poteſt.

CAP.

CAP. XXXI.

S. Plato Galyta Martyr opem Archangeli implorat. S. Anaſtaſius Martyr eum ſtantem, ac ſe fumigantem videt. In miſſa S. Joan. Chryſoſt. poſt Deiparam inuocatur.

SAnctus Plato Galyta in Ancyra ciuitate (vt Surius in Iulio recitat) factus Martyr ſub Agrippino Vicario poſt primas plagas reductus in carcerem Chriſtum pro tolerantia rogauit; Emitte, inquiens, Archangelum tuum Michaelem, vt me liberet à fallaci, & malitioſo ſerpente Agrippino: vt cognoſcant omnes, non eſſe Deos, qui fiunt per manus hominum, ſed te ſolum eſſe Deum, qui es patiens, & multæ miſericordiæ & glorificatus in ſæcula. Paſſus autem poſt idem fuit plurima, & quidem conſtantiſſimè, ita vt non fruſtra pro ope totius cæli militiæ principem adiutorem poſtulauerit.

S. Anaſtaſius Martyr, vt etiam refert idem Surius fol. 516. vidit plurimos, quos Angelos eſſe putabat, ſicut reuera erant. Deinde, inquit, erat quidam adoleſcens,

dextera gerens thuribulum, in magna, quæ erat circa ipſum gloria Angelorum. Stabat autem martyrem ſuffumigans, qui ſanè agnoſci poteſt Michael fuiſſe.

In miſſa S. Ioannis Chryſoſtomi poſt orationem diuæ Virgini dicatam dirigitur ſequens ad D. Michaelem, his verbis: Cœleſtis militiæ princeps rogamus te nunc indigni, vt tuis interceſſionibus munias nos vmbra alarum tuarum immateriatæ naturæ; cuſtodi nos: procidimus, & ſine intermiſſione ad te clamamus, à periculis erue nos, vt virtutum princeps cœleſtium.

Zonaras agens de Imperio Zoes, & Theodoræ ſororum, poteſtate, inquit, Zoæ reſtitutâ Conſtantinus Monachus ab exilio in vrbē regiam reuocatur, cui cùm appropinquaſſet, ſubſiſtere iubetur, & iuxta Damocramum Archiducis templum à quodam ex aula miſſo veſte imperatoria exornatus vrbē cum imperatorio comitatu ingreditur, & nuptiale ſacrum peragitur. Hoc templum etiam prope vrbem fuit, & aliud, quam de quo ſupra eſt dictum fuiſſe videtur.

LI-

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De apparitione eius in vrbe Roma, feſto, & alijs in locis, & templis.

AD occidentem nunc ſermo deducitur. Cum autem Archangelus priùs princeps ſynagogæ, pòſt autem Eccleſiæ Dei ſponte factus ſit princeps, protector; in eius primitijs, & velut naſ-:ntia, quantum, & quàm efficax illius fue-: ſtudium, facilè eſt æſtimare, quomodo poſtolos ipſos & maximè ipſorum prinpem ſeu verticem S. Petrum, velut quonım ipſum Moyſen protexerit, deduxerit, adiuuarit; qui cum denique Romam vt i æternam ſedem defigeret, peruenit, eo-:m & diuini Archangeli opitulatio, & ·æfectura, eum pariter eſt comitata, & us omnes actiones perfecit, & conſum-auit, ſiue contra Simonem Magum, qui

 diui-

diuinam ſibi naturam vendicans è cælo, in quod volare videbatur, fuit à cœleſti militia deiectus; ſiue contra Neronem, & eius complices, & impietatis adminiſtros, ac in carceribus, cuſtodijs, ac flagellis. Quod autem ante apparitiones in Gargano, & Apulia demonſtratas etiam aliæ præceſſerunt; & ſolemnis eius feſtiuitas alterius cuiuſdam apparitionis occaſione fuerit inſtituta, Cæſar Baronius ex Drepamo Floro vetuſtiſſimo poëtarum, cuius ſunt verſus ſequentes, vt & alia permulta ad hanc materiam pertinentia pro ſua diligentia, & ſumma rerum Eccleſiaſticarum peritia annotauit in ſuis ad Martyrologium Romanum ſcholijs.

Clarent angelici ſublimia feſta diei
Allatura piæ dona beata animæ.
Hunc etenim Michael aulæ cœleſtis alumnus
Conſpicuo nobis conſecrat ore diem
Dignatus Petri, Paulique inuiſere ſedem,
Imperiumque fouens inclyta Roma tuum.
Qui proceres inter pia mœnia luce coruſcos
Egregio vultu ſplenduit ore nouo
Cum Deus expulſis lucem dePromeret vmbris,
Conderet & ſtabilem nocte ruente diem.

CAP.

CAP. II.

De feſto eius Romæ & templis.

EX his manifeſtum euadit, & apparuiſſe in initio Eccleſiæ,& lucis datæ, & feſtum illi inſtitutum Romæ fuiſſe. Et rectè, vbi enim caput eſt Eccleſiæ, ibi Eccleſiæ Angelum pręſidem maximè æquum eſt aſſiſtere, & honorari. Florus autem Drepamus (inquit Baronius) qui hæc ſcripſit, ille eſſe videtur, cuius meminit Sidonius ep. vndecima, lib. octauo ad Lupũ, cuius ingenij extant pauca quędam monumenta in collectione poëtarum Chriſtianorum. Et quod ad pręſentis diei (addit idem Baronius in Martyrologio 8. Maij, vbi agit de apparitione S. Michaelis) ſolemnitatem ſpectat, in bibliotheca Vaticana ineſt codex, qui inſcribitur, ſermones S. Auguſtini, & aliorum. Ibidem legitur ſermo S. Gregor. Papæ in feſtiuitate S. Michaelis Archangeli. Sed & vt idem in die dedicationis eiuſdem ſcribit, complures ſunt Græcorum Patrum Homiliæ, & inter alias recenſetur S. Ioannis Chryſoſtomi

prima in S. Michaelem Archangelum; ſecunda, & tertia de Angelis; quarta de Seraphim. Non prætermus, inquit, inter alias Eccleſias Romæ erectas in honorem S. Michaelis Archangeli, fuiſſe illam, quæ in ſummitate molis Hadriani olim à Bonifacio Papa excitata eſt non multò poſt à memoria, ſcilicet Sipontina, & vt Ado ſcribit quam in S. Michaelis nomine conſtructam is Pontifex dedicauit in ſummitate Circi, criptatim miro opere altiſſimè porrectam: Vnde & idem locus in ſummitate ſua continens Eccleſiam inter nubes ſitus vocatur. De quanam autem Baſilica (inquit Baronius) Ado intelligat, facilè quis poterit aſſequi ſi cuncta ab eo deſcripta conſideret. Certè hæc Baſilicæ S. Michaelis in Ianiculo prope Vaticanum poſitæ aptari minus poſſe videntur; quandoquidem non à Bonifacio Papa, ſed à Leone IV. ob Saracenos deuictos, atque fugatos multis poſt ſæculis erecta fuit, vt docet vetus inſcriptio in marmore inciſa, quæ in eadem Eccleſia hactenus aſſeruatur; licet ſcriptoris vicio Carolus pro Ludouico ponatur: Tantùm abeſt vt proximis Gelaſij temporibus (vt vult Ado, & Sigebertus habet, qui manifeſtationem

nem in Gargano contigiſſe ſub Gelaſio Papa reſtatur) ac deinde ea haud eſt in eam altitudinem porrecta, vt is inter nubes locus ſit dictus; quandoquidem vnius ſcalæ, vel breuis cliui ſpatij aſcenſum habeat. Neque etiam, vt ait, criptatim ſit porrecta. At cùm nec alius locus ſit Romæ Michaelis Archangeli memoria celebris, cui prædicta conueniant, in eam adducor non inuitus ſententiam, vt opiner, ait Baronius, dictam memoriam Michaelis, cuius Ado meminit, fuiſſe olim ſitam in ſummitate molis Hadriani ſuper ingens ſaxum velut eminentem ſcopulum poſitam; ac reuera (vt ait) miro opere altiſſimè porrectam; vt meritò locus ille dictus fuerit inter nubes; qui quidem & alio nomine à maioribus appellatus inuenitur, nimirum Mons S. Angeli; ita enim vocatum habes apud Petrum Damianum in rebus geſtis S. Romualdi. Eo autem nomine ab Eccleſia in eius ſummitate erecta eſſe dictum eſt euidens coniectura. quæ etiam redduntur clariora ex his, quę ſcribit Rodolphus Glaber, quem citat Papirius Maſſonius in vita Gregorij quinti: agens enim de Othone tertio, hæc de eo ait: Quod cùm cognouiſſet Creſcentius,

tius, illum ſcilicet vrbi propinquare, conſcendens cum ſuis turrim, quæ ſita eſt extra ciuitatem trans Tiberim, & ob altitudinem ſui inter cælos vocant, vallauit eam defenſurus pro vita, &c. Cùm autem conſtet turrim Creſcentij non aliam fuiſſe, quam Hadriani molem turri redditam ſublimiorem, eundemque locum dictum eſſe munitionem S. Michaelis Archangeli, iam ſatis perſpicuum redditur eundem locum dictum eſſe inter nubes ab Adone, qui à Rodulpho dicitur inter cælos. Quod autem dicat Ado in ſummitate Circi illam Eccleſiam eſſe poſitam, puto pro, Circi, circuli, eſſe legendum: moles enim illa in orbem ducta circuli figuram habuit, vt antiqua numiſmata, quæ eam habent deſcriptam, declarant. Vel ſi de Circo mauis intelligere, erat illi loco proximus circus Dometiæ. Hæc Baronius. Quod autem is de Eccleſia vſque ad cælos dixit, confirmare videtur omnino Luitprandus l.3. fol.267. agens de Hugone, qui cum Marozia in ea munitione habitauit, Ioanne Papa incarcerato, his verbis: In ingreſſu Romæ vrbis, quædam eſt miri operis, miræque fortitudinis conſtituta munitio, ante cuius ianuam pons eſt

præ-

pretioſiſſimus ſuper Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus, atque egredientibus eſt. Nec eſt alia niſi per eum tranſeundi via. Munitio autem ipſa, vt cætera deſinam, tantæ altitudinis eſt, vt Eccleſia, quæ in eius vertice videtur, in honorem ſummi, & cæleſtis militiæ principis Michaelis Archangeli fabricata, dicatur Eccleſia S. Angeli vſque ad cælos.

CAP. III.

A quo Bonifacio eius Eccleſia Romæ erecta.

INquirit deinde Baronius pro ſua diligentia, à quonam Bonifacio fuerit illa Eccleſia ædificata, & tandem iudicat, neque à primo, qui longè ante Gelaſium ſedit. Neque à ſecundo, qui diu poſtea ſedit. Nulla enim tum adhuc erat memoria Michaelis Archangeli in ea mole; imò ne munitio quidem, quæ demum cœpit cum Gotthi vrbem obſiderent. Sed Bonifacio tertio, vel quarto eius Eccleſiæ excitatio potiùs, inquit, tribuenda videtur. Hi autem, inquit, cum poſt Sabinianum ſucceſ-

ſucceſſerint Gregorio Papæ, recenti miraculo de angelo, qui, vt habet antiqua traditio, ſupra prędictam molem viſus eſt in ſignum luis ceſſantis gladium exertum in vaginam recondere, in tantæ rei geſtæ memoriam, alterum illorum illic erexiſſe prędictam Eccleſiam, par eſt credere. Sed cùm ad eundem locum aucta munitione omnibus aditus non pateret, alia rurſus Eccleſia in honorem S. Michaelis Archangeli ædificata eſt, quam vetuſtate collapſam noſtris diebus inſtauratam vidimus. Ac licet, inquit, ſciamus Eccleſiam S. Michaelis in capite Circi confuſis nominibus dici ſolitam quæ ad radices Ianiculi poſita proximior eſt Baſilicæ Vaticanæ: ea tamen quæ ab Adone ſunt poſita illi minùs applicari poſſe videntur. Ita ibi Baronius, ſed tomo 7. annalium anno Chriſti 531. ea quæ ab Adone de primæ illius Eccleſiæ in ſummitate Circi erectione dicta ſunt, ad Bonifacium ſecundum refert: quanquam ibi ſine vlteriori examine rem breuiter pertranſeat, & quid Adonis relationi conformius videatur, ſolum ſubindicet. Cæterum, vt & illud non taceamus, idem Baronius in Martyrologio aliam quoque nobilem, & per antiquam

quam nominat Eccleſiam, quæ poſita eſt in foro piſcatorio, in quam, vt legitur in breuiario Rom. SS. Simphoroſæ, & ſeptem eius filiorum corpora demùm tranſlata fuerunt: ac ſic tres Romæ Archangelo Michaeli erectæ fuere Eccleſiæ pro admirando luis ceſſantis ex eius apparitione beneficio, ſingularique ac præcipua Romanæ vrbis & Eccleſiæ protectione. Vide autem de eadem re capita duo ſequentia.

CAP. IV.

De eodem argumento. Et quando peſtis Romæ ad eius apparitionem ſublata.

PLatina in vita Symmachi primi Papę, qui ſecundus fuit poſt Gelaſium primum, inter alia: Auxit, inquit, & baſilicam Archangeli Michaelis, aquamque introduxit, ſcilicet tempore Theodorici regis Gotthi fol. 62.

Quod autem de lue, & peſte ſublata dictum eſt ſuperiùs, accidit anno circiter 590. ſub S. Gregorio magno, cum ſe ante confirmationem Imperatoris Mauritij pro Pontifice neceſſariò gereret. Inſtitutis enim

per eum ſeptiformibus litanijs, vt (inquit Baronius) habent libri rituales, vltimis litanijs proceſſum eſt ad baſilicam Apoſtolorum Principis Petri, & Pauli, atque ab eodem Gregorio ſancta imago Deiparæ magna veneratione delata. Tunc verò & mirandum illud accidiſſe tradunt, vt cum perueniſſet procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in ſignum reconciliati Numinis viſus fuerit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque ſymbolo morbum ceſſaſſe ſignificare voluiſſe, Quemadmodum, vt ſuperius, inquit, ex eodem Gregorio dictum eſt, per ſagittas viſas cœlitus lapſas idem fuerat præmonſtratum. Et ſic S. Archangelus in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Sicut olim Dauidis regis tempore 2. Reg. 24.

CAP.

CAP. V.

De eodem argumento.

FLaminius primus de colle in ſuo libello Italico de rebus admirabilibus vrbis Romæ. Hæc Eccleſia S. Angeli (Michaelis ſcilicet, qui per excellentiam Angelus dicitur & nomine S. Angeli Romæ communiter intelligitur) fuit ædificata à S. Gregorio Papa tempore magnæ illius peſtilentiæ, quæ ipſius ęuo fuit, & qua maior pars populi Romani fuit ſublata, cuius gratia dictus S. Pontifex inſtituit Deo inſpirante celebrem illam proceſſionem, & litanias, quæ maiores appellantur, in quibus ipſemet cum toto clero, & populo, qui reliquus erat, & deportatione Sanctiſſimæ imaginis Dominæ noſtræ, quę eſt in Eccleſia aræ cæli ad iram Dei placandam, obſeruatum fuit, quod malignitas aëris infecti cederet loco, vbi ſanctiſſima imago pertranſierat nec non apud pontem caſtelli ſupra molem Hadriani viſibiliter apparuit vnus Angelus in ſummitate dicti caſtelli, qui ſanguinolentum gladium in vaginam

ginam recondebat, quo ex ſigno intelle-ctum fuit, quod ira Dei erga ſuum populum erat ſedata, cuius miraculi cauſa dictus Pontifex ædificauit dictam Eccleſiam in honorem S. Michaelis Archangeli: cuius etiam veſtigia in hodiernam diem videntur; & ſunt impreſſa in marmorea petra affixa in Eccleſia aræ cæli ſub ipſis organis. Vbi & ſunt multæ reliquiæ, & indulgentia plenaria in remiſſionem peccatorum, quæ durat per totam octauam ſuæ feſtiuitatis. Et dicta Eccleſia eſt capituli S. Petri. Eſt & altera Eccleſia S. Angeli in piſcaria, ſeu foro piſcario, olim quæ Iunonis templum fuit in via triumphali, quæ collegiata eſt, in qua Romanus Senator quolibet anno offert vnum calicem in feſto S. Angeli in Maio. Vbi plurimæ ſunt reliquiæ, Et anno 1560. cum maius altare loco ſuo moueretur reperta fuit lignea capſa ſub dicto altari plena reliquijs, cum vna lamina plumbea & ſcriptura continente, quod ibi requieſcerent corpora SS. Martyrum Simphoroſæ, Azotici ſui mariti, ac filiorum per Stephanum Papam tranſportata. Quæ quidem reliquiæ bis in anno exhibentur cum indulgentia plenaria: nempe

nempe 18. Iulij in feſto S. Simphoroſæ, & 29. Septemb. in die S. Angeli, id eſt S. Michaelis. Hæc Flaminius. Eadem Eccleſia eſt quoque parochialis. Nota autem quòd pons ille, quo ex Vaticano in vrbem itur, pons S. Michaelis quoque nominatur.

CAP. VI.

De apparitione in Gargano, & cultu, ac miraculis.

GArganus, qui Ptolomeo Gargarus, & Luithprando ac Sigeberto Garelianus dicitur, mons eſt in Apulia ad mare Adriaticum, qui hodie Italis monte de S. Angelo nuncupatur prope Sipontum oppidum, quod iam Manfredonia eſt: De quo monte ita Lucanus: Appulus Adriacas exit Garganus in vndas. Is locus à Saracenis, & Barbaris, qui eum tenuerunt, diu ſuum in eo præſidium firmantes contra Italos, multùm fuit immutatus.

Hæc apparitio tanti fuit momenti, & ita accepta, vt ſolemne feſtum annuum Eccleſiæ promeruerit, quod vbique celebratur octaua die Maij ſecundum vſum Romanum,

manum, & aliarum Eccleſiarum, quæ proprium habent officium. Eam factã eſſe ſub Gelaſio primo Papa inter omnes conuenit, & vt Sigebertus, anno 488. verum, vt Baronius notat, in numero annorum decipitur. Gelaſius enim ſedere cœpit, anno 492. vnde colligendum arbitror factam circa annum 493. vel circiter. Neque attendendus venit liber manuſcriptus bibliothecæ, de quo Baronius ſcribit, eo contineri factam anno 536. niſi forte de alia ſimili, quæ tunc fieri potuit, ob miraculorum frequentiam, locutus intelligendus ſit. Hanc autem apparitionem Ado Treuirenſis Epiſcopus his verbis recitat: In monte Gargano venerabilis memoria B. Archangeli Michaelis, vbi ipſius conſecrata nomini habetur Eccleſia, vili facta ſchemate, ſed cœleſti prædita virtute: Vertice ſiquidem montis excelſi poſita de corpore eiuſdem ſaxi ſpeluncæ inſtar præcauata oſtenditur. Eſt autem locus in Campaniæ finibus, vbi inter ſinum Adriaticum, & montem Garganum ciuitas Sipontus poſita eſt, qui à mœnibus ciuitatis duodecim millibus porrectus in cacumine ſuo ſupremo hanc toto orbe venerandam geſtat Eccleſiam. Quæ hoc modo

do mortalibus cognita eſt: Quidam vir prę-diues nomine Garganus, qui, iuxta aliquos, ex euẽtu ſuo mõti vocabulũ indidit, infinita multitudine pecorũ pollebat. Contigit autem taurum armenti gregis conſortia ſpernentem ſingulariter incedere ſolitum, & ad extremum redeunte pecore domum non reuerti, quem Dominus per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice montis foribus cuiuſdam aſſiſtere ſpeluncæ, quem cum ſagitta appetijſſet, illa velut flamine venti retorta, eum, à quo iactata eſt, mox reuerſa percuſſit: turbati ciues, & ſtupefacti, qualiter res fuerat effecta (non enim accedere propriùs audebãt) conſulunt epiſcopum, quid facto opus ſit; qui indicto ieiunio triduano, à Deo monuit eſſe quærendum. Quo peracto S. Michael Archangelus apparuit Epiſcopo per viſionem dicens: *Ego ſum Michael Archangelus, qui in conſpectu Dei ſemper aſſiſto: ipſius loci me eſſe cuſtodem, atque omnium quæ geruntur inſpectorem, hoc volui indicio probare.* Sed nec vltra cryptam auſi intrare, præ foribus quotidie orationi vacabant. Interea Neapolitæ Beneuentanos bello laceſſere tentant, qui antiſtitis ſui monitis edocti tri-

duanum ieiunium agunt: & ecce nocte ipſa, quę belli prçcedebat diem, idem in viſione S. Michael apparens antiſtiti, preces dixit eorum exauditas; ſpopondit victoriam ſeque eis affuturum; quod mox veritas facti demonſtrauit: domumque victores reuerſi vota Domino gratiarum ad templum feſtinant referre, videntque mane iuxta ianuam ſeptemtrionalem inſtar poſterulæ puſillæ, quaſi hominis veſtigià marmori arctiùs impreſſa, agnoſcuntque B. Michaelem prçſentiæ ſuæ ſignum voluiſſe monſtrare. Vbi poſtea culmine appoſito, & altari impoſito ipſa Eccleſia ob ſigna veſtigiorum Apodanea eſt vocata, & poſtmodum collatione facta Sypontini ad Orientem loci illius B. Petri Apoſtolorum principis nomine condunt Eccleſiam.

Obiter verò omnibus perpenſis, quòd D. Michael eo demum tempore, quo Eccleſia vbique terrarum ſub principibus, vel Ethnicis, vel hæreticis, vel barbaris premebatur, ſuam apparitionem fieri voluerit, notatu dignum eſt.

CAP.

CAP. VII.

De dedicatione Eccleſiæ in Gargano.

DE ea (inquit Baronius in Martyrologio 29. ſeptembris) dedicatione Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores; & de eadem agitur in capitularibus regum Franciæ lib. 2. c. 35. & in Concilio Moguntiæ c. 36. Illi autem inſtitutam feſti, duplicis ſolemnitatē annuam 29. ſeptembris, eſt Notorium, Ado verò ſic proſequitur: Iterum (inquit) Romano Pontifice, & Sypontino Epiſcopo de conſecratione loci ipſius quęrentibus, ac propterea triduanum ieiunium cum ciuibus ſuis celebrantibus, nocte ieiunij ſuprema ſanctus Michael Epiſcopo Sypontino per viſionem apparēs monuit vt intrarent Eccleſiam, quam ipſe dicauit, & miſſas iuxta morem ibi agerent. Meum, inquit, erit oſtendere, quomodo per memetipſum locum conſecrauerim. Adueniunt mane cum oblationibus, & magna inſtantia precum intrant regiam auſtralem: & ecce longa porticus in Aquilone porrecta, atque illam attingens poſte-

 rulam,

rulam, extra quam veſtigia marmori diximus impreſſa, ſed priuſquam huc venirent, apparet in oriente baſilica prægrandis, quæ per gradus aſcenditur. Hæc cum ipſa porticu ſua quingentos ferè homines capere videbatur. Altare venerandum, rubroque coopertum palliolo propè medium parietis meridiani oſtendens. Erat autem ipſa domus anguloſa non in morem operis humani parietibus erectis, ſed inſtar ſpeluncæ præruptis, & ſæpius eminentibus aſperata ſcopulis: culmine quoque perreſo diuerſæ altitudinis, quod hîc vertice tangi, alibi manu vix poſſet attingi. Credo docente Archangelo Dominum non ornatum lapidum, ſed cordis quærere, & diligere puritatem. Nullus autem hîc nocturno tempore eſt auſus ingredi, ſed aurora tranſacta matutinos ibi canunt hymnos. Ex ipſo autem ſaxo, quo ſacra contegitur ædes ad aquilonem altaris, dulcis, & nimium lucida guttatim aqua dilabitur quam incolæ ſtillam vocant, ob hoc & vitreum vas eius receptui præparatum. Denique nonnulli poſt longas febrium flammas, hac hauſta ſtilla, celeri confeſtim refrigerio potiuntur ſalutę: innumeris quoque, & alijs mo-
dis,

Digitized by Google

dis, ibi & crebrò ſanantur ægroti, & multa, angelica tantum illic poteſtate, geri miracula comprobantur. Hæc Ado. Mirum autem videri non debet, ſi, vt modernus Coſmographus Theuetus ſcribit, in hoc templum crypticum quinquaginta quinque gradibus deſcendatur, ita vt niſi feneſtræ eſſent, impoſſibile foret ſine candelis, & lumine illud adire, nam ita vſu venire videmus, vt quæ olim ædificia altiùs erant conſtituta, nunc ſint ipſo ſolo humiliora. Et mihi diu cogitanti tandem hæc quoque ratio occurrit, quod cùm Saraceni à Græcis ſollicitati (eo quod eorum ab imperio Appuli & Calabri defeciſſent) Italiam extremo ferro & flammis vaſtantes demum à Ioanne decimo Papa Rauennate (alij xj. dicunt) homine tunc Italiæ rebus quod militares, vt dicit Platina, ſpiritus haberet, neceſſario , iuncto Alberico Hetruriæ principe, magna admodum ſtrage affecti fuiſſent; ita vt de deſerenda Italia cogitarent: attamen ſpe reſumpta ac omni maritima ora incenſa in Apuliam conceſſerũt, & arce in monte Gargano facta, ac ſub iugo montis oppido ad belli ſedem communito per multos annos Italiam infeſtarunt,

Calabriam, & Apuliam excurſionibus vaſtarunt, ac Beneuentum etiam vi ceperũt, & finitimis quoque vrbibus præſidium impoſuerunt; nempe ab anno circiter 922. vſque ad 968. vel circiter. quo tempore per Sclauos Chriſti nomine tunc imbutos ac Othonem 2. Imperatorem, patre adhuc viuente, pulſi inde fuerunt. Eſt autem inde planum cognoſcere quod tot ibi ſtructuris & ædificijs eo tempore labente, pro rei, & loci exigentia exſtinctis & terra comportata templum, de quo agimus, ac ſpelunca in imo eſſe cæperit, ita vt poſtmodum tot quot ſupra dictum eſt gradibus nunc eò ſit deſcendendum: Alij qui in loco ſunt id iudicent. His addit Theuetus eo in templo, & veſtibulum & gradus, & columnas, atque altare ex marmore conſtare: pauimentum autem albo, rubroque marmore diſtinctum. In exitu quoque eius ſiluam eſſe exiguam ob religionem non cæduam, quod opinio ſit ſubitaneæ mortis eſſe diſcrimen ſi quis exſcinderet. In culmine autem montis exſtare adhuc caſtellum ſancti Angeli propè inexpugnabile; neque deeſſe in monte piſcoſos lacus. Quòd verò ab illo, cuius taurus erat, mons ille Garganus dictus

ctus non fuerat, ſed multis ante ſæculis, id nomen ſortitus ſit, teſtis eſt Lucanus lib. 4. hoc verſu: Appulus Adriacus exit Garganus in oras.

CAP. VIII.

De peregrinatione in Garganum, & cultu ac deuotione.

HVc referendum videtur quod infra ſubijciemus de ſancto Benedicto, qui inter alias reliquias à ſe iam profecto ſancto Mauro diſcipulo, & in Galliam tendenti miſit ex palliolo S. Michaelis Archangeli ſanctæ memoriæ eius. Videri enim poteſt S. Benedictus eas ex Gargano cum recens adhuc eſſet templi dedicatio paulo ante mortē ſuam adeptus eſſe, & ita honoraſſe, vt & Galliæ partem mitteret & ſibi (ita enim interpretor) non minorem pro Caſſino retineret, vbi verſabatur.

Hunc ſecutus dici poteſt & S. Odo primus Abbas Cluniacenſis, qui, vt Surius in eius vita fol. 932. refert, orandi cauſâ petijt Garganum.

Baro-

Baronius loco priùs allegato frequentiſſimam dicit olim fuiſſe ad montem Garganum peregrinationem, ad quam rem adducit exemplum Othonis tertij Imperatoris ex Petro Damiano in vita S. Romualdi, quod nos hîc latiùs ex eodem explicatum reddimus. Cùm enim is Imperator Romæ ageret, Creſcentius Senator Romanus indignationem regis incurrens in montem, qui dicitur Angeli, confugium petijt: & quia munitio inexpugnabilis eſt obſidente rege ad defendendum ſe fiducialiter præparauit. Ei verò Thamnus ex præcepto regis iuſiurandum ſecuritatis præſtitit; & ita ille deceptus adnitente Papa ſibi aduerſario tanquam maieſtatis reus capitalem ſubijt ſententiam, cuius vxorem poſt Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thamnus & fraudis conſcius, & periurio tenebatur obnoxius, idcirco à beato Romualdo iuſſus eſt relinquere ſæculum. Qui mox cum à rege licentiam expectaret, rex non modò ad id facilem ſe præbuit (erat autem ei coniunctiſſimus) ſed etiam nimis alacrem fecit. Erat autem dictus Imperator Monaſtico Ordini valde beneuolus & nimia circa Dei famulos affectione deuotus.

Ipſe

Ipſe quoque Imperator ex eodem crimine beato viro confeſſus pœnitentiæ cauſa nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, ſic vſque in Garganum montem ad ſancti Michaelis perrexit Eccleſiam. Et vt non lateat te, lector, quantus hic peregrinus fuerit: per totam etiam (inquit Petrus Damianus) quadrageſimam in Claſſenſi monaſterio B. Apollinaris paucis ſibi adhærentibus manſit: vbi ieiunio, & pſalmodiæ, prout, valebat intentus cilicio ad carnem indutus aurata deſuper purpura tegebatur; idemq; promiſit denique B. Romualdo, quod imperium relinquens monachicum ſuſciperet habitum, vt cui innumeri mortales erant obnoxij, ipſe pauperculo fratri fieret obnoxius. Id quod Romæ morte ſibi ab eo interminata præuentus non præſtitit. Martinus Polonus etiam refert, quod Roma in Apuliam ad S. Angelum, cauſa peregrinationis, & orationis tranſiuit, addens, quod per Beneuentum reditum faciens, caput S. Paulini Epiſcopi ſecum Romam detulit &c. Aduerte autem millia, & innumera alia fuiſſe peregrinari, & pœnitere volentibus in Italia loca opportuna; ſed eum tamē Imperatorem Garganum elegiſſe.

CAP.

CAP. IX.

De deuotione S. Romualdi erga eum deque impreſſione ſtigmatum S. Franciſci & alijs mirabilibus.

PORro deuotionem S. Romualdi erga Michaelem Archangelum arguit, quod is in loco, qui balneum dicitur, in Saxenati territorio non pauco tempore commoratus, monaſterium ad B. Michaelis Archangeli honorem conſtruxit, vbi à ſuis multa paſſus magnum patientiæ ſpecimen præbuit, vt in vita eius fol. 712. latiùs videre eſt.

De S. quoque Franciſco in eius vita per S. Bonauenturam conſcripta habetur quòd in honorem S. Michaelis Archangeli ieiunauerit 40. diebus in monte Aluernæ, vbi & ſtigmata Chriſti accepit. Item quòd moriens apparuerit Epiſcopo Aſſiſij cùm is eſſet in peregrinatione ad Garganum. quam è contra peregrinationem, dum quidam, vt ibidem dicitur, irreuerenter faceret, cùm in fonte biberet, à dæmone correptus fuit, & non niſi triennio poſt liberatus

tus cùm veniſſet ad ſepulchrum S. Franciſci, & illius corpus ibi attigiſſet. Accepit autem S. Franciſcus ſtigmata Chriſti, vt affirmant D. Antoninus 3. p. Chronici c. 7. §. 4. & D. Bonauentura vbi ſupra anno Domini 1224. vel circa exaltationem S. Crucis, vel in ipſo die feſto Crucis in Septembri.

Refertur in Chronico eiuſdem ordinis c.55. quòd apparuit illi in monte Aluernæ Seraph ſex habens alas, ſicut legimus de Seraphim Iſ. c.6. admirabili ſplendore collucens, in figuram Chriſti Domini cruci affixi conformatus; iſque Franciſco eorundem vulnerum ſtigmata impreſſit. Fuiſſe autem hunc Seraph Michaelem probabile admodum eſt. Etenim tunc Franciſcus de more quadrageſimam S. Michaelis ieiunabat in honorem Virginis, & Michaelis, cui erat addictiſſimus. Quæ quadrageſima incipiebat à die aſſumptionis B. M. Virginis, finiebaturque ipſo feſto B. Archangeli. Quare veriſimile eſt eum Michaelem fuiſſe, qui illum Chriſti Domini ſtigmatibus decorauit. Atque hinc aliud argumentum, & Michaelis Encomium longè clariſſimum depromitur. Erat enim conueniens,

vt

vt ſupremus Seraph, hoc eſt maximè flammis amoris inceſſus, Chriſtum cruci affixum in illo, inquam, ſui amoris exceſſu repræſentaret. Ex quo etiam credere debemus Michaelis patrocinio magnam nobis fieri diuini amoris acceſſionem: ſiquidem eo tanquam ſigillo vtitur Chriſtus ad plagas ſuas amoris facibus ardentiſſimas in Sanctorum & mentibus, & corporibus imprimendas. Porro libro I. Chronici Fratrum Minorum in gallicum verſi, cap. 52. hæc leguntur: Beatus Franciſcus inſeparabili amoris cathena vltra omnes, & ſupra omnes Angelos, quos ob ſpiritualem, quam de nobis habent curam, venerabatur, eorum Archangelo Michaeli vnitus erat propter officium, quod habet repręſentandi animas; & in deuotionem eius 40. diebus ante feſtum eius ieiunabat; & in iſto S. ieiunio meritus fuit fauorem ſingularium ſtigmatum.

Leo nonus Papa eodem, quo creatus anno, orationis gratiâ montem Garganum petijt, quæ celeberrima eius temporis fuit peregrinatio. Vnde diuertit ad monaſterium Caſſinenſe, & poſtea Romam, vbi Paſcha celebrauit. Spondanus.

CAP. X.

De alijs ibidem & ad imaginem S. Michaelis mirabilibus geſtis.

TAnta quoque etiam templi diui Archangeli religio fuit tributa vt Grimoaldus Longobardorum rex audito quod Vnulphus fidelis admodum Chuniberto, quem is perſequebatur, ad Eccleſiam S. Michaelis confugiſſet, iuſſerit vt ad ſe liberè veniret, nullum malum eum habiturum, vt refert Abbas Vrſpergenſis fol. 148. Idem autem loquens de bello dicti Chuniberti filij Pethariti optimi ducis & regis contra perfidum, & fœdifragum Alahim ducem, refert quòd Alahis ille ad ſingulare certamen prouocatus, quo tot armatorum ſanguini parceretur, cùm id retractaſſet, & altera vice ſubterfugeret, rogatus à ſuis cauſam dixerit, Non poſſum, inquiens, id facere quia video imaginem S. Michaelis Archangeli inter haſtas ſuas vbi ei iuraui, quam etiam ab eo redditam rationem conformiter refert Bonſimus decade 1. lib.8. quia, inquit, Michaelem Archangelum ſupra pila hoſtium diſtricto

diſtricto enſe infeſtum ſibi videre videbatur fol. 156. Conflictu verò poſt dato, is cecidit, & capite cæſus fuit, vt tradit idem Vrſpergenſis fol. 151. Et Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 5. c.18. vbi rem iſtam ita refert. Cæterum Chunibertus ſuos ferè victos ad fugam ſpectare conſpiciens, ſtatim ſe eis oſtendit, omniumq; corda ſublato pauore ad ſperandam victoriam erexit. Inſtruuntur itaque iterum acies, & hinc Chunibertus, inde Alahis ad belli certamina præparantur. Cumque iam acies propinquæ eſſent, & ſe vtræque ad pugnam conſererent: Chunibertus ad Alahim iteratò in hæc verba mandauit: Ecce quantus populus ex vtraque parte conſiſtit: quid opus eſt, vt tanta multitudo pereat, coniungamur ego, & ille ſingulari certamine vt vtri noſtrùm Deus voluerit victoriam donare, is omnem hunc populum ſaluum, & incolumem poſſideat. Cumque Alahim ſui expoſcerent, vt faceret, quod Chunibertus illi mandauerat, ipſe reſpondit: hoc facere non poſſum, quia inter cunctos ſuos, vexillaue, S. Archangeli Michaelis, vbi ego illi iuraui, imaginem conſpicio. Tunc vnus ex illis, inquit: Tu præ

pauore

pauore cernis quod non eſt, & tibi iam tardum eſt iſta meditari. Conſeruntur itaque acies perſtrepentibus buccinis: & neutra parte cædente, facta eſt magna populorum ſtrages. Tandem crudelis tyrannus Alahis interijt, & Chunibertus, adiuuante Deo (vtique & D. Michaele ibi in armis apparente) victoriam obtinuit. Caput quoque Alahis detruncatum, & crura eius ſuccisa ſunt informeq́ue tantùm truncumq́ue cadauer remanſit.

Item Paulus Diaconus l. 4. Grimoaldus, inquit, dux, qui 25. annis ducatum Samnitium tenuit, cùm eſſet bellicoſiſſimus, & vbique inſignis: venientibus eo tempore Saracenis, vt oraculum S. Michaelis Archangeli, quòd in monte Gargano ſitum eſt, deprædarentur, ſuper eos exercitu irruens vltima eos cæde proſtrauit, fol. 407. Poſtea is fuit rex Longobardorum. Volaterranus fol. 64. Saracenos, inquit, hunc occupantes Grimoaldus Longobardorum rex ſingulari in Chriſtianos beneficio expulit, inde poſt annos centum iterum Carolus Magnus eum tenentes fugauit. Sed miror tã cito in Italiam potuiſſe venire Saracenos in principio adhuc Mahumetiſmi.

Siracuſam veniſſe ſcio, & deprædatos, & ſpolia abſtuliſſe, quæ Conſtans Imperator Roma è templis abſtulerat. Alibi legi Græcos fuiſſe, quos Grimoaldus adhuc dux vicit eò venientes vt locum ſanctum deprædarentur, & Sigebertus etiam Saracenos vocat, qui Græci erant. Hinc autem quantæ tunc in eo templo opes ac diuitiæ fuerint, vt exercitu opus fuerit ad eam prædam, clarum euadit. Vide, ſi luber, Paulum Diaconum eo loco.

CAP. XI.

De alia eius apparitione in fauorem Conſtantis Imperatoris.

SVbdenda nunc & alia diui Archangeli apparitio cum inſigni, & admodum ſalutari doctrinâ, quam pariter manifeſtauit. Eam refert idem Paulus Diaconus lib. 5. c. 4. Cùm enim Conſtans 2. Imperat. Conſtantini Poganati ſiue Barbati (vt arbitror) pater, in Italiam veniſſet, vt eam à Longobardorum iugo liberaret, priùs ſolitarium quendam prophetiæ ſpiritu pollentem conſuluit an eam gentem ſuperare debe-

deberet, & in poteſtate tenere poſſet: qui cùm ſpatium vnius noctis, qua Deum fuſis precibus conſuleret, poſtulaſſet: Eadem, inquit, hora viſæ ſunt ei tres perſonæ ſpirituales, quarum vna Archangeli Michaelis, ſecunda Ioannis Baptiſtæ, tertia erat Apoſtoli Petri. Tunc vnus ex eis dixit ad ſolitarium: Dic Imperatori Conſtantino (Conſtanti malim legere) quòd ad talem rem, quam habet in corde ſuo diſpoſitam, domini voluntas adhuc non eſt. Ædificatam enim in eorum finibus Eccleſiam ſancto Ioanni Baptiſtæ, & honorificè ornatam, in qua Deus colitur, & ſacerdotes ei fideliter ſeruiunt: illum pro gente Longobardorum intercedere continuò; illi annua in eius feſto munera offerri pro oratorij conſeruatione, in loco ſcilicet, qui Modoecia dicitur. Venturum autem tempus, quando his ceſſantibus ſequetur iniquitas, & iniuſtitia, & prædationes: tunc ipſa gens peribit cum omnibus, quæ ad illos pertinent: Et ſtabunt in improperium omnibus gentibus, quæ in circuitù illorum ſunt. Niſi tamen conuerſi fuerint. Atque, inquit, id poſtea verum eſſe euentus probauit. latè fol. 414.

CAP. XII.

De alia eius apparitione Ottoni II. Imperat. facta & eius punitione.

DE Ottone II. Imperatore in fragmento hiſtorico authoris incerti; M. Alberti Argentinenſis chronico in manuſcriptis præfixo ſic habetur: Anno Domini 991. Otto rex peragrata Italia venit in montem Gargani, & cognouit à referentibus Angelorum obſequia nocturno tempore ibi eſſe, nec vllum mortalium velint intereſſe. Cuius cauſæ notitiam cùm diſpoſuiſſet curioſiùs indagare; Apoſtolicum conuenit ſuper hac re primùm, cui cùm Apoſtolicus conſilium ſuum indidiſſet, ſibi minùs placere illum Angelicis miniſterijs intereſſe, paruipendit conſilium Papæ, & eo ignorante proficiſcitur in montem Gargani; vbi dum pernoctaret, inter cætera, quæ cognouit ſanctorum myſteria, veniam conſecutus eſt Angelorum, quòd temerè ſacratum locum intrauerat: tantùm ab angelis proſtratus pro quodam iudicio, quod perfeciſſe debuerat, nec fecit; pro negli-

negligentijs tranſuerberatus eſt; Deinde S. Michael iuſſit eum Romam remeare ſtatuto ſibi die, quo eum vellet inuiſere; ſicque cruentatus rex Romam repedauit, & Benedicto Papæ cuncta à ſe viſa retexuit. Igitur rex valido languore tactus vita, deceſſit, & ab Archangelo receptus, ſuperis eſt ſociatus anno Domini 994. Cuius exequiæ per Apoſtolicum condigno honore celebratæ ſunt, & ipſe in porticu S. Petri ſepultus. Pro quo filius eius Otto adhuc puer regnauit. Hæc ille; ſed in ratione temporis error eſt: Otto enim ſecundus Romæ quidem, & ſub Benedicto Papa obijt; ſed anno 983. vel vt Sigebertus, anno 982. Et hiſtorici, vt & Sigebertus, cauſam mortis eius referunt ad cladem, quam paſſus fuit à Græcis pro Apulia, & Calabria iure vxorio, cùm eas vellet ſibi vendicare.

CAP. XIII.

Alia eius apparitio & miraculoſa ſanatio ducis Senogalliæ.

TEmporibus Caroli Regis dux quidam Senogalliæ nomine Sergius, habens vxorem Græcam nomine Margaretam, dum prole careret, bonis eleemoſynarum operibus ſollicitè inſudans, ſubitò leproſus effectus eſt; qui plurima expendens in medicos, nulla medicamina percipere poterat. Dum autem pro ſua ſalute Deum iugiter exoraret, nocte quadam Michael Archangelus in ſomnis ei apparuit, eumque monuit, vt ad Eccleſiam monaſterij ab Angelo electam, quæ Brentalis dicitur, viſitandam accederet, indeque ſalutem protinus reportaret. Qui expergefactus mane coniugi & militibus viſa narrauit. Sequenti quoque nocte eidem dormienti iterum Angelus aſtitit, & iuſſa prædicta replicauit. Qui cùm locum ſibi non eſſe notum reſpondiſſet, Angelus addidit, vt nauem cum militibus aſcenderet, eamque ad locum deducendam Angelicæ ſollicitu-

licitudini committeret. Qui iuſſa perficiens nauem conſcendit, flantibuſque ventis proſperis, vnius noctis, & diei ſpatio ad locum S. Michaelis, qui Brentalis dicitur ſuper mare Adriaticum habens monaſterium ſuum, quod Brentale dicitur, ſiue de Brindulo, Angelo duce, peruenit (eſt autem Brindulum portus Atheſis fluminis, qui ex Alpibus fluit in mare Adriaticum.) Et dum ſe mane ad portam applicuiſſe mirarentur, & locum ignorantes, vbinam eſſent, ab incolis ſciſcitarentur; ab ijſdem ſe ad Eccleſiam præfatam Michaelis Archangeli applicuiſſe didicerunt: qui Deo gratias agentes mane exierunt, cunctique nudis pedibus ad Eccleſiam proceſſerunt: ſed Dei miſericordia antequam dux Eccleſiæ ingrederetur oſtia, confeſtim ab omni lepræ mundatus eſt macula. Tunc dux ſanus domum redijt, & omnibus venditis, medietatem pauperibus tribuit; & aliam medietatem Eccleſiæ S. Michaelis obtulit: & ibidem cum coniuge perpetuis temporibus Deo ſeruiuit. Ita Petrus de Natalibus. Monaſterium autem iſtud eſt Ordinis S. Benedicti, vbi adhuc nunc monaſtica ſeruatur inſtitutio: & templum, ſi quod

aliud vſquam, inſignem, & politam admodum ſtructuram habet, quæ reſpicientium, & ſpectantium oculos delectet.

CAP. XIV.

Alexandri III. S. Ægidij, S. Franciſci, & Matris S. Claræ erga eum deuotio.

ALexander III. Papa fugiens Imperatorem Fredericum, per Apuliam Garganum montem tranſijt, & inde Iaderam petijt, & Venetias ignoto habitu, vt refert hiſtoria ducum Venetorum Marcelli fol. 28. S. Ægidius diſcipulus S. Franciſci pro ſuo zelo, & pietate mirabili tum multa alia loca ſancta viſitauit; tum etiam montem S. Michaelis, vt habetur in chronico Fratrum Minorum lib. 7. c. 2. vbi etiam libro 8. c. 1. de Matre S. Claræ nomine Ortolona pijſſima fœmina, legitur quòd Eccleſiam quoque diui Michaelis in Gargano præter terram ſanctam in Iudæa, & Romæ limina SS. Petri & Pauli, cum magno fructu, & conſolatione viſitauerit. & lib. 1. c. 101. de ſancto Franciſco, vt viſitatus fuerit à diua Virgine ſuum illi offerente filium.

lium, eum amplexando, & exoſculando: necnon & à SS. Petro, & Paulo, ac S. Michaele, pro eius particulari erga eos deuotione. Sed de cultu eius per Italiam, vide plura lib. 5. ſequenti c. 17.

CAP. XV.

De manifeſtatione, & apparitione eius in Gallia: & quod S. Martino adfuerit, & de fundatione Cænobij eius in parochia Verdunenſi.

EAm memorant Sigebertus Maſſæus, & Petrus de Natalibus, vt alios omittam; non quòd antea Galliæ incognitus fuerit: iam enim ſupra explicuimus, quæ ab illo geſta, in Balma, & deſerto D. Magdalenæ fuerint; &, vt attigimus quoque ſuperius, S. Benedictus paulò poſt apparitionem in Gargano cùm à ſe S. Maurum diſcipulum ſuum in Gallias dimiſiſſet, vbi ordinem propagaret; ſtatim in itinere exiſtenti tanquam pro maximo munere, & quo illum priuatum eſſe minimè volebat; tres miſit portiúnculas S. Crucis, & reliquias

quias Dei genitricis, ſanctique Michaelis Archangeli ex palliolo, ſcilicet eius ſanctæ memoriæ &c. apud Surium in vita S. Mauri ex Fauſto. vbi & folio 347. habetur quòd in primo monaſterio erecto in Gallijs ædificatæ quatuor fuerunt Eccleſiæ, Prima, eaque Maior, pro fratribus S. Petri; Secunda in honore S. Martini; Tertia minor ſancti Zeuerini; Quarta autem in modum turris quadrifidæ in ingreſſu monaſterij altiſſimè ædificata in honorem S. Michaelis Archangeli.

Palliolum accipio, id, quod ſupra altare in Gargano ab eo dedicatum repertum fuit. Vt inde S. Benedictus portionem accipere promeruerit, quæ & inter ſuos diuidi poſſet. Neque mirum: Nam & ſancto Bonito Auernorum Epiſcopo à D. Virgine veſtis ſpecies donata, cuius textura, & materia à nullo mortalium dignoſci poteſt, eaque candoris eximij, miræque tum leuitatis, tum lenitatis: vt non dicam de ea, quam eadem ſancto Alphonſo, ſeu Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo contulit.

Certè quod D. Martino auxiliator fuerit, argumento eſt, quòd & in vico, cui nomen leproſum eſt, volenti demoliri templum

plum Gentilium, Paganorum illi reſiſtente multitudine, poſt preces & tridui ieiunium duo Angeli haſtati, atque ſcutati inſtar militiæ cœleſtis ſe obtulerint, dicentes miſſos ſe eſſe à domino, vt ruſticam multitudinem fugarent, dum templum dirimeretur. Templum verò ita dirutum fuit, vt illi obſtupefacti, & territi crediderint. Nimirum hîc intelligitur, D. Michael, vti & in alijs ſimilibus S. Martini operibus non iniuria debet, cuius eſt potiſſimùm munus regnum Sathanæ, & ſuperbiam contundere diuinum ſibi cultum arrogantis.

Neque non accipi poteſt, quòd quando corpus S. Dionyſij Galliarum Apoſtoli poſt nobile martyrium aſportaretur, & audita fuere innumerabilia cœleſtium ſpirituum agmina, inæſtimabili ſuauitatis modulantia çanere: Gloria tibi Domine, adiuncto frequenter alleluya; & quidem alternatim, & quaſi certatim, inter eos adfuerit & eis præfuerit S. Michael Archangelus, cùm & ipſe circa animas ſuſcipiendas ſingulariter ſit præfectus. Vnde Sulpitius in vita S. Martini poſt eius mortem: O beatum, inquit, virum, in cuius tranſitu ſanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, om-

omniumque cæleſtium virtutum occurrit exercitus : Diabolus præſumptione confunditur; Eccleſia virtute roboratur; ſacerdotes reuelatione glorificantur; quem Michael aſſumpſit cum Angelis ; Maria ſuſcepit cum Virginum Choris; paradiſus retinet lætum cum ſanctis &c. qua de re plura ſuo loco.

Anno 601. in bello ciuili Theodeberti, & Theodorici contra Lotharium fratrem ſuum, viſus fuit Angelus Domini aſtans euaginatum tenuiſſe gladium, inquit Ammonius, & refert Baronius.

Author eſt Sigebertus, quòd anno 657. Wlfradus, maior domus Hilderici regis (is eſt, qui Theodoricum, & Ebroïnum ad monaſteria relegauerat) in parochia Verdunenſi ſuper Moſam Cœnobium S. Michaelis fundauerit.

CAP.

CAP. XVI.

De eius apparitione & cultu Abrincæ in Normannia.

VT porro ad apparitionem veniamus Gallicanam, quæ præcipuè memoratur, & cuius feſtum ſecundum additionem Vſuardi 17. Calendas Nouembris: Alborica, ſiue Abrinca vrbs eſt Normanniæ Epiſcopalis ad mare ſpectans, haud longè à Britannia, quæ plures ſanctos olim habuit Epiſcopos; quorum primus refertur ſanctus Leontius, alij verò in catalogo numerantur. Haud procul ab ea ciuitate; tribus ſcilicet milliaribus, mons eſt S. Michaelis nunc appellatus, qui mons Tumbæ Helenæ, gallicè, mont de Tombelaine dicitur, occaſione Helenæ neptis Arti regis Britannorum illic ſepultæ, & quæ ibi erigi egregiam capellam fecit, & multis relictis bonis ditauit. Reges autem Franciæ, & Angliæ, ac deinceps Normanniæ, multis poſt diuitijs eam ampliarunt. Hæc ferè Theuetus in Coſmographia. Ab alijs vocatur mons in procella maris, vel

periculo

periculo maris, aut mons in Tumba. In quo etiam monte Richardus dux Normannorum filius Guillielmi, qui cum ſua gente Chriſtianus factus erat; nempe in ea, quæ Marcha Franciæ, & Britanniæ vocabatur: ædificauit monaſterium de Monte, vbi monachos poſuit; ſicut habetur in fragmento hiſtoriæ Britannicæ Francofurti anno 1594. impreſſo. Subtus eſt vna crypta, & in ea capella.

Narratio autem huius apparitionis ex Petro de Natalibus, lib. 4. cap. 71. Hęc eſt: Apparitio, inquit, S. Michaelis Archangeli ſi noua anno Domini 707. Facta eſt, vt ait Sigebertus. Tempore enim Childeberti regis Francorum, & Iuſtiniani Auguſti apparuit Archangelus Michael Autberto (ita meus codex habet; ſed alibi Autsbertus legitur; & fuit ſanctus, decimus in ordine Epiſcoporum Arboricenſium) Bracenſi Epiſcopo (Arboricenſi legi debet) ſupra mare Oceanum commoranti, ipſumque ſecundò monuit, vt in loco maris Oceani, & inſula, quę propter eius eminentiam Tumba dicitur, nomini ſuo fundaret Eccleſiam volens ſibi talem venerationem exhiberi in Pelago, qualis exhibebatur in Gargano. Interea

Interea taurus in eadem Inſula à latrone furtim captus, ligatur in loco illo: vnde Epiſcopus tertiò admonitus iubetur, vt in illo loco fundamentum iaceret, quo taurum ligatum inueniret:& ſicut eam terram pedibus contriuiſſe videret, ſic Eccleſiæ ambitum duceret. Quæ dum Epiſcopus populo retuliſſet; ad locum nauigio acceſſerunt, & taurum inuenientes, vt Archangelus prædixerat, Eccleſiam conſtruere cœperunt. Duæ autem rupes ibi erant, quæ humanitus inde amoueri non poterant, & officium impediebant; ſed Michael cuidam viro apparuit, præcipiens, vt ipſas rupes inde amoueret; qui tam facilè eas mouit, vt nihil ponderis habere videretur: ſicque Eccleſia in honorem S. Michaelis Archangeli conſtruitur. Et ex eo tempore ſicut in monte Gargano, ita & in ipſo loco, qui modo dicitur in periculo maris, veneratio eius frequentari cœpit; & in eam Eccleſiam partem pallij, quod in monte Gargano angelus poſuerat, & partem marmoris, ſupra quod ſteterat, detulerunt.

CAP. XVII.

De fontis ibidem miraculoſa ſcaturigine & puerperæ inter maris refluentes vndas liberatione.

CVm verò aquæ penuriam ibidem incolæ paterentur, monitu Angeli foramen in ſaxo fecerunt, & inde aquarum copia vſque in præſens largiùs emanauit. Et quanquam mons ille Oceano vndique cingatur, in die tamen prædicto, diui Michaelis iter præbens populo bis aperitur. Vnde, vt idem author recenſet: Cum anno quodam copioſiſſima turba, ad Eccleſiam pergeret, contigit mulierem prægnantem, vicinamque partui ex deuotione Archangeli ſecum ire; & ecce magno impetu vnda redijt, & omnis turba timore concuſſa ad littus fugit: ſola autem mulier grauida fugere nō valuit, ſed à marinis fluctibus intercepta eſt. At Michael idē inter vndas aſtitit, qui mulierem illæſam ſeruauit; quæ & in medio Pelagi filium parturiuit; quem & in vlnis ſuſcipiens lactauit; & angelo duce cum puero ad littus illæſa peruenit.

uenit. Fons autem ille miraculoſus perennis eſt, & adhuc hodie vt olim fluit, magno & incolentium, & peregrinorum commodo, quorum ibi ſemper eſt ingens confluxus, & olim fuit. Nam & anno 1457. vt ſcribit Meyerus, ſub Carolo ſeptimo rege in maximo, quod tunc fuit, gelu; multi maximè pueri è Germania ac Brabantia ſe conferebant ad montem D. Michaelis in littore Normanniæ. Fuitque locus ille à regibus, & principibus ſemper honoratiſſimus, & ope angelica contra hoſtiles incurſus cuſtoditus. Quam ad rem memorabile eſt quod anno 1423. licet ab Anglis, qui tunc proſpero vento bonam Franciæ partem obtinebant, acriter extructis in circuitu turriculis oppugnatus fuerit, ita vt obſeſſi ad magnam rerum penuriam redacti eſſent: protegente tamen eos angelica in primis cuſtodia liberati fuerunt; ſuccurrente eis generoſo domino de Beaufort, Admirali Britanniæ, qui cum claſſe in ſancto Malo inſtructa Anglos aggrediens, fortiter naues eorum partim in mare depreſſit; partim in fugam compulit; obſeſſis omnibus neceſſarijs cumulauit, & ita animauit, vt vltro obſeſſi obſidentes inuadentes eos

N depu-

depulerint, & in libertatem priſtinam ſe reſtituerint. Cùmque Angli apud Ardenonem extructa arce, ſeu propugnaculo, frequentibus excurſionibus præſidiarios loci diuexarent, Ioannes de la Haye Baro de Colances ad diem deſignatum adueniens, iunctis ijs, qui in monte aderant, non ſine angelico ſubſidio, ducentos ex Anglis in Sabulo interfecit, capto nobili equite Anglo Nicolao Bourdet. Eodem anno natus Ludouicus vndecimus rex. Ita refert Bernardus Girard in ſua hiſtoria Francica; ſed ponit annum 1424.

CAP. XVIII.

De rebus inter filios Guilielmi Baſtardi Normanniæ ducis in eodem monte geſtis.

PRopter eandem huius montis celebritatem anno circiter 1096. cùm inter tres filios Guilielmi Baſtardi ducis Normanniæ, Guilielmum Rufum Angliæ tunc regem; Robertum Normanniæ ducem, & Henricum natu minimum diſcordia exorta eſſet: Henricus ne ſibi deeſſet,

ſet, primò montem eum occupat, locumque firmat, ex quo prædationes, & incurſiones in Normanniam multas facit. Quare fratres ambo irritati montem obſident; intereaque in littore, ac ſabulo multæ fiunt dimicationes; ita vt aliquando rex ipſe Guilielmus Rufus magnum in periculum inciderit. Ex equo enim deiectus fuit, moxque eius accepta ſella tamdiu ſe defendit, donec ſui ſuperuenientes opem illi afferrent neceſſariam. Nolebat enim ſibi obijci, quòd bello equi ſui ſellam amiſiſſet. Petenti autem Henrico inducias vnius diei, & potum, (laborabat enim aquæ penuria) dux Robertus eius frater miſit illi vas vini, intereaque obſeſſi de aquis ſibi prouidêre. & cùm rex ægrè id ferret, Robertus egregiè illi reſpondens, ait, neminem fratri ſuo cibum, potumque, cùm ipſemet peteret, denegare debere. Cauſa autem diſcordię fuerat, quod Henricus à fratre Roberto illuderetur, pecunijs, quas ei mutuas dederat, non redditis, & pignore per eum retento: ſed res tandem ope diuina, & Angeli pacis tranſacta fuit, ea lege, vt Henricus Conſtantinum retineret, dum illi Robertus ſuas perſolueret pecunias.

Hæc ex Martino Meſgeſſiero rerum Normanniæ hiſtorico Gallico. Apud quem quoque legitur, quod tempore Guilielmi Baſtardi, Robertus Comes de Eu fundauit Abbatiam S. Michaelis vlterioris portus, & Robertus primus Normanniæ dux dictus Raoul, inter alia multas poſſeſſiones, & prægrandes Eccleſiæ montis S. Michaelis donauit; Ibi autem, inquit, ſingulis duodecim horis maris fluxus, & refluxus agnoſcitur, quo arenoſum ſolum operitur, & detegitur; eſtque locus ob peregrinationes, & itinera diuerſorum ex omni natione admodum frequentatus.

Cauſa Henrici contra duos fratres cum eſſet æquiſſima Deus tutatus eſt illum in monte S. Michaelis primùm; & deinde illum euexit ad regnum Angliæ Guilielmo Rufo in venatione ſagita confoſſo anno 1100. Et poſt anno 1108. Robertum fratrem vicit magna Northannorum ſtrage edita; eumque captum ſecum duxit in Angliam, ibique in carcere vitam finire coëgit; Normannia dehinc regno coniuncta: ſicque vtriuſque fratris factus fuit ſucceſſor. Ioannes Carion. Crediderim Henricum primùm Angliæ regem memorem patroci-

nij

nij in monte ſuſcepti cultum S. Archangeli in Anglia maiorem feciſſe: & fortaſſe ab eo tempore in moneta angelotos cuſos.

Anno autem IIII. fulmine tactus fuit mons S. Michaelis: vnde Eccleſia diruta, & combuſta fuit cum ſuis ædificijs ſecundum N. Gilles, vel iuxta Sigebertum anno 1112.

CAP. XIX.

De puella Virgine ad Francorum contra Anglos maximam Galliæ partem occupantes liberationem per S. Archangelum inſtructa & confortata.

NVnc (locus enim id poſtulat) referendum eſt, quod maximi & inauditi, ſi alia omnia regna ſpectemus, miraculi inſtar habet; nempe quod cùm Angli maximam Galliarum portionem vi & armis tenerent rege Carolo ſubterfugiente, ac velut in extremis poſito, ita vt Aurelianæ vrbi regni primariæ ab hoſtibus diu & fortiter obſeſſæ ſuccurrere deſperaret; mira res! Deus, & S. hic militiæ cœle-

ſtis princeps MICHAEL ſpirituum, plebeiæ ſeu ruſticanæ virginis (puellam Francorum pòſt dixerunt) fortia contemnens, & infirma erigens excitauit, quæ non cunctando, ſed arma induendo, ac ſtrenuè in primis velut dux cæterorum pręliando, obſidionem ſolueret, animum regi redderet, & rem ipſam, Anglis mirabili fortitudine ſuperatis, ac confuſis, reſtitueret; multa loca recuperaret; incolumem exercitum duceret, & reduceret: quodque omnium primum eſt, regem ipſum per hoſtium globos innoxium ad coronam ſuſcipiendam proueheret. Capta ſtatim pòſt ab Anglis, & ignibus tradita fuit, tum quando rex viribus reſumptis ipſa carere poterat. Omne autem eius robur à D. MICHAELE illi inditum; à quo noctis tempore inſtruebatur, & exercitabatur quod ſequenti die auderet, & ſuſciperet: licet & ad alios Angelos, necnon ad S. Catharinam, & Margaritam, atque ad alios cœleſtes referret dictorum, factorumque ſuorum rationes. Illud verò pro certo aſſerebat, quod vel ex prima admonitione apparentis ſibi Michaelis Archangeli cum pluribus angelis, tantam animi confidentiam, & fortitudinem conce-

ceperit, quòd nullius periculi, qualecunque illud fuiſſet, magnitudine ab incepto, & bellicis conatibus dimoueri poſſet, diſertè, & palam ſemper proteſtata, quod nunquam in Franciam deueniſſet, niſi ex Dei expreſſo iuſſu, ac mandato; cumque ea cum angelis conſuetudine potiretur, illis diſcedentibus in magnum animi mœrorem, ac lacrymas ſoluebatur: optabat enim ab ijs diuelli nunquam. Adeo dulcis & amœna illi erat angelorum conſociatio; dicereque ſolebat, quod noctibus aut in monaſterio virginum; aut cum hoſpita aut ſi mulier deeſſet, ſuis in armis ſomnum neceſſarium caperet.

Hanc Andreas Bozius in libro de robore bellico, cap. 8. effert ſupra omnes vnquam fœminas, ac de eius innocentia, modeſtia, caſtitate, & religionis puritate authores citat, & cauſæ cognitionem ex reſcripto Calixti Papæ factam teſtatur. Qua in re notabilis eſt mirabilis Dei gratia erga Francos, quibus in tanto rerum diſcrimine tunc puellam veram virginem dedit, quæ rerum eſſet recuperatrix: Et pòſt Anglis puellam falſam ac ſubdolam dedit, quæ reliqua perdidit, & omnia interuertit.

CAP. XX.

De inſtitutione ordinis equeſtris S. Michaelis in Francia tanquam Francorum protectoris: & de geſtatione torquis S. Michaelis.

HAc de re ſcribit Stephanus Paſquier in ſuis notis, & obſeruationibus Francicis; nempe quod Ludouicus vndecimus huius nominis Franciæ die prima Auguſti 1469. inſtituit ordinem equitum S. Michaelis tanquam protectoris Francorum contra Anglos, durante longo, & difficili contra illos bello, & cuius ſuaſu & ope Ioanna puella tam neceſſariam ac opportunam rebus Francorum operam tam fœliciter præſtitiſſet; tum etiam, quod ſingulariter montem illum ſacrum, in quo ipſe D. Archangelus apparuit ac coli ſpecialiter voluit, nunquam permiſiſſet in Anglorum manus, & ſpolia venire. Tum denique quod eius prædeceſſores, vt ſcribit Belleforeſtus, omni æuo ſingularem habuiſſent deuotionem erga iſtum S. Archangelum tanquam regni patronum; quodque olim

olim ſolerent reges in feſto D. Michaelis, quod & hodie, inquit, obſeruatur, omnibus apertam aulam ſeu curiam tenere. Nec immeritò: Nam vt Dionyſius Peronet in ſermone de S. Michaele ſcribit; etſi totius eccleſiæ in ſe curā ſuſceperit; ſpecialiter tamen iſtius Francorum regni tutelam aſſumpſit; ita vt præ omnibus nationibus, magnam, inquit, occaſionem habeamus illum & honorandi, & diem hunc feſtum illi ſolemnizandi: per illum enim neque hactenus contigit, neque in poſterum, dante Deo eueniet, vt hoc regnum in hæreſim ſit prolapſurum; aut in manus exterorum deuenerit. Hæc ille.

Plura de illo ordine dici hîc poſſent, & quod non reges tantùm, verum etiam imperatores in eius ſocietatem conſcribi, & torquem geſtare, pro magno, & beneficio, & honore habuerint. Et in ijs etiam Carolus quintus, cum quo in fœdere, quod rex Franciſcus anno 1519. cum eo fecit, inter alia actum fuit, vt die, qui D. Michaeli ſacer eſt, Carolus rex (Caſtellæ) equeſtrem D. Michaelis torquem publicè collo geſtaret: & viciſſim rex Franciſcus die S. Andreæ conſecrato palam aurei velleris inſigne hume-

humeris deferret. vt refert Pontus Henterus fol.348. De Iacobo etiam quinto Scotorum rege teſtatur Roffenſis in ſua hiſtoria, eum ſolemniter torquem, & habitũ equeſtrem D. Michaelis geſtaſſe.

Dictus vero rex Ludouicus etiam ad locum illum peregrinationis ergo profectus quandoque legitur, ac voluiſſe pro geſtamine ſimilia, quæ peregrini ad montem proficiſcentes circumferunt, per equites eoſdem portari.

Rebuffus in tractatu de concordia titulo de collationibus SS. ſtatuimus in verbo, doctores: Nota, inquit, quod nullus poteſt eſſe cancellarius ordinis S. Michaelis, niſi ſit doctor Theologus, vel decretorum, aut ſaltem licentiatus in iſtorum altero: &c. Vt vidi, inquit, in fundatione ordinis S. Michaelis edita per Ludouicum regem ſanctum. Et idem in titulo de reſeruationibus fol. 589. Quilibet, inquit, miles ordinis S. Michaelis in ſua receptione debet ſoluere 40. aureos in vſum veſtium eccleſiæ, & ornamentorum conuertendos: Et hoc inuenio, inquit, in fundatione ordinis militiæ S. Michaelis; quæ fundatio eſt per Papam approbata, & ſic extra Simoniæ labem.

CAP.

CAP. XXI.

Alia memorabilia de eodem monte.

QVemadmodum Angli ſub Carolo ſeptimo rege Francorum, montem iſtum quacunque vi capere non potuerūt longa obſidione & machinis admotis; ita nec noſtra memoria Hugunotti, quos vocant, etſi multas, & magnas vrbes quandoque in poteſtatem dolo, vel armis interceperint; hanc tamē Tumbam, ſeu montem archangelicum diuo non permittente Michaele, quanquam in id omnem conatum effuderint nempe circa annum 1562. occupare potuerunt.

Conueni peregrinos viros graues, & doctos, qui dicerent à ſe viſum in templo archangelico ſcutum, ſeu ancile Diui Michaelis. alij ibi in ſuſpenſo ferrum quoddam, quod è ventre monſtri illorſum diuinitus edomiti & occiſi, præciſum, & repertum fuit. Neque mirum ſi ſcutum habuit, qui occurrens Duci Ioſue poſt tranſitum Iordanis ſtans exertum gladium tenebat.

Quod

Quod autem quidam noſtri ſæculi ſcriptor affirmat deuotionem huic loco à Monte Gargano proceſſiſſe, ex eo quod ex Normannorum ſtemmate, & proſapia multo tempore fuerint allecti duces Apuliæ,& Calabriæ : ſi tempora diſtinguere velis, haud veroſimile eſt. Nam apparitio prima facta fuit anno 707. vel vt alij 709. Normanni autem diu demum poſt in Apulia, & Calabria dominationem ſortiti fuerunt.

CAP. XXII.

De fundatione Eccleſiæ & monaſterij montis ſancti Michaelis, prope montem Tombelaine, & miraculorum inibi, reliquiarum & indulgentiarum iuxta relationem F. F. Feuardentij S. Th. doctoris ex archiuis eiuſdem loci.

HÆc rupes antiquitus mons erat cinctus ſiluis & ſaltibus ad ſex milliaria in longũ, ad quatuor in latum productus, hinc ſolo, inde mari Oceano cõtiguus : in cuius radice ſedẽ fixerant eremitæ nonnulli animo pietati & Deo maximè addicto. Cibos & alimenta ijs mittere ſole-

ſolebat Parochus de Beauuoir Deo tunc ipſorum indigentiam viſibili ſuper ædes eius ſigno manifeſtante. Huic ſarcinæ ferendæ aſſueuerat aſinus, qui prę da tandem factus eſt lupo ſibi obuianti, qui diuina prouidentia ac potentia id officij exhibere coactus fuit, quod olim corui Eliam in deſerto paſcentes, vrſi Eliſæum propugnantes & Leones tumulum Sancti Pauli Eremitarum coriphæi cum Sancto Antonio fodientes. Anno circiter ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo octauo vel nono placuit Deo vt princeps Angelorum & turmæ cæleſtes, antiquus Sinagogæ Hebraicæ protector vti nunc Eccleſię Catholicę, veteris ſerpentis victor, ſanctarum animarum conductor Sanctus Michael coleretur in his plagis Occidentalibus veluti in monte Gargano ad Orientem. Quid ni? quandoquidem Patriarchæ & Prophetæ Abraham, Lot, Iacob, Ioſue, Dauid, Daniel, Zacharias, vterque Tobias, Angelos ſanctè coluerint ante eos ſeſe proſternentes. Anno igitur ſupradicto (vt teſtantur Beda, Sigebertus, Wernerus & Gaguinus graues fideleſque authores) Sanctus Michael Archangelus apparuit Sancto Autberto tum temporis Epiſco-

Epiſcopo Aueranchiaco, cui ſe notũ fecit, dixitque Deum velle vt ædificaretur templum in monte ſupra relato, quod nomini & memoriæ ſuæ dicaretur. Sanctus Epiſcopus nõ leuiter addens fidem omni ſpiritui, hocce diſtulit negotium, cui ſecundo Angelus apparuit, & eadem quæ antea retulit. Venerabilis & prudens ille paſtor experiri volens an hæc viſio & reuelatio eſſet à Deo necne, rurſus in tertiam apparitionem diſtulit, quem tunc Angelus in credendo & obtemperando minus lentum arguit, caputque eius digito ita ferijt, vt foramen etiamnum in eo videre liceat, perpetuum ac indubitatum veritatis argumentum. Quod nõ minùs fieri potuit, & credere poſſumus, quàm quod Angeli expulerint Adamum & Euam paradiſo terreſtri, reprehenderint Agar, Iſaacum parentis gladio exemerint, Lot Sodoma eduxerint obcæcatis infidelibus, Danielem & ſocios flammis & leonibus expedierint, Moyſen in fruſta ſecare miniſtri ſint, Ieruſalem à peſte immunem reddiderint, Sanctum Petrum & Ioannem carceribus Iudaicis liberauerint, ac alia quàm plurima miracula in laudem Dei & famulorum eius patrauerint. Sanctus hic

Epiſco-

Epiſcopus exponens viſiones mandataque angeli, capitis etiam foramen ſuis Canonicis & venerandis Eccleſiæ miniſtris oſtentans, quibus rogatis adductiſque operarijs pluribus ad montem pergit, eius cacumen attingit illic templum, vti in mandatis habebat, ædificaturus, eodem nempe Archangelo varijs reuelationibus, ſi quæ habebat dubia, eximente, & ſignis manifeſtante quo in loco, qua magnitudine quoue modo edificare deberet. In vertice huius montis eminebant ingentes & præruptæ duæ rupes, quarum vna nec moueri nec æquari viribus humanis poterat. S. Michael iuſſit Epiſcopum accerſere infantem adhuc in cunis vagientem, filium cuiuſdam accolæ nuncupati Bain, & tunc admoto infantis pede, veſtigium, quod etiamnum viſitur, primo impreſſum eſt rupi, quę illico ſus deque ruit,

Nonne Dei filius pollicitus eſt illos qui ei fidem adhiberent, eadem atque ipſe, imo maiora patraturos miracula? nonne, ſi dicant monti vt ſe moueat, & in mare ſaliat, id ſtatim fiet? quis ignorat S. Gregorium Neocæſareum illud ipſum præſtitiſſe?

Secundum miraculum aut ſignum fuit, cum

cùm deeſſet aqua dulcis neceſſaria huius loci accolis, implorata à S. Autberto Archangeli ope, deſignatus fuit locus, quem vt primùm fuſte Autbertus percuſſit, Deo volente aquæ viuæ fons erupit non modò vſibus humanis neceſſarius, ſed curandis varijs morbis aptiſſimus.

Hoc derident Athæi, increduli, miraculorum inuidentiſſimi, & infinitæ Dei potentiæ abiuratores perfidi: è contra boni omnes & fideles Chriſtiani, Deum reuerentes, eumque ſuis in operibus ſuſpicientes, id non minus facilè crediderint quàm quod è coſta hominis fœmina formata ſit, aqua in ſanguinem verſa fuerit & ſanguis in aquam, virga in ſerpentem & ſerpens in virgam, & aquæ viuæ ex aſini maxilla & rupe duriſſima exſilierint.

S. Autbertus admodum triſtis quòd nihil à S. Archangelo accepiſſet, quod in eo loco in eius memoriam exhibere poſſet, idem S. Michael ei apparuit, & præcepit vt nuntios fideles ad montem Garganum mitteret, qui à Canonicis templi illic in ſui memoriam extructi partem panni rubicundi peterent, quem ipſemet Archangelus attulerat, & partem marmoris,

cui

cui inſederat. Quod Epiſcopus diligentiſſimè eſt executus, & nuntijs exponentibus quod contigerat, Canonici montis Gargani fidem habuerunt, ijſque ſponte ſacras reliquias commiſerunt. Quarum attactu, dum eas reuerenter deferrent, varijs in locis duodecim cœci viſum receperunt. Cùm non procul à monte eſſent, ſenex & cœca fœmina pietate mota domo egreditur, quæ ſequi cupiens illico oculis lucem hauſit, in cuius miraculi fidem pagus antea dictus Auſteriat, Beauuoir vocitatus fuit. An non æquè facilè Deus per Archangelum atque per virgam aut pedum Moyſes tot in Ægypto, in mari, & deſertis Arabiæ miracula patrare potuit? per arcam veteris teſtamenti in Iericho, in Iordane, inter Palęſtinos & Bethſamitas? per pallium Eliæ ſuper fluuium, & per oſſa Eliſæi mortuum reſuſcitare? per piſcinam probaticā, omnes morbos curare? per lauacrum Siloë, cœcum ab ipſa natiuitate illuminare? per vmbram S. Petri quoſlibet ægros ſanare, & per lintea S. Pauli malignos ſpiritus humanis corporibus expellere. Per reliquias S. Stephani & flores ijs appoſitos tàm illuſtria patrare miracula quæ refert S. Auguſt. 22. ciuit. c. 8.

O Dum

Dum dicti nuntij, itinere perficiendo, annum impenderent, Deo permittente, mare ſiluam quantacumque eſſet ſuperauit, ac proſtrauit, repleuitque arena locos monti Tombelino adiacentes. Nuntij autem reuerſi decima ſexta Octobris, ſaltus arena refertos adeo mirati ſunt vt nouum orbem ſe ingreſſos eſſe putauerint. Tandem non ignari miraculorum à Deo factorum ſancto Autberto reliquias commiſerunt, qui ordinis tam Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis homines conuocauit, vt hanc Eccleſiam dedicarent, ſed cùm varijs indicijs ab Angelo dedicatam aduerterent, abſtinuerunt, & maxima cum lætitia & ſolemnitate reliquias à monte Gargano delatas illic depoſuerunt: & eremitarum loco ſubſtituit Epiſcopus 12. Canonicos, qui in memoriam S. Michaelis diuinis officijs vacarent, conſtitutis annuis prouentibus quibus honeſtè ali poſſent. Et propter dedicationem Angelicam, miracula circum viſa, receptionem reliquiarum ab Oriente in Occidentem & S. Michaelis montem delatarum, ſtatuit feſtum quotannis 16. Octobris ſolemniter coli, & conceſſit varias ac perpetuas indulgentias ijs, qui deuo-

tè

tè montem inuiſerent Deum colendo & orando S. Michaelem omneſque beatos Angelos, quibus præcepit vt nos in omnibus noſtris vijs tuerentur, ſalutemque noſtram procurarent, cui ita afficiuntur vt maxima cum ſolemnitate & gaudio conuerſionem peccatoris in cælo celebrent, & ex hoc mundo animas noſtras corpore exutas ad gaudia & conſolationes æternas deducant, illi itaque qui opem horum beatorum ſpirituum contempſerint, à dæmonibus perpetuò vexabuntur.

Anno 966. Richardus primus Normanniæ Dux adiuncto ſibi Archiepiſcopo Rotomagenſi & Epiſcopo Arauſicano permittente Pontifice Ioanne & Lothario Galliæ Rege, Canonicos dimiſit, in quorum locum ſubrogauit Religioſos obſeruatores regulæ & inſtituti S. Benedicti: quibus non ea tantum, quæ poſſidebant Canonici, ſuppeditauit, ſed etiam alios redditus atque priuilegia, quæ iuſſit approbari & confirmari per Papam & Regem prædictum.

Anno milleſimo vigeſimo quarto Rolandus ſecundus Normanniæ dux & Hildelbertus huius monaſterij Abbas iuſſe-

runt ædificari Eccleſiam, ea qua nunc eſt ſtructura.

Anno milleſimo 48. Raouldo Abbate rectore confectæ fuerunt quatuor columnæ & arcus magnæ turris Eccleſiæ.

Dum Abbas Ranulphus præeſſet (incæperat ab anno milleſimo 60.) inchoata fuit nauis Eccleſiæ, ambulacrum, ſepultura monachorum, clauſura antiqua huius Abbatiæ, aliaque ædificia, quæ immutata ſunt, vti videre licet.

Anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo, Iordinus Abbas cœpit regere monaſterium, quo viuente extructum fuit dormitorium, clauſura refectorij, clauſtrum, & cellarium.

Sub tribus Abbatibus ipſi ſuccedentibus, qui 24. annis huic loco præfuerunt, plurima ædificia adiuncta fuerunt. Richardus Toutinus ſucceſſor capitulum inchoauit, ſedes inſignes & circa Eccleſiam muros fieri iuſſit.

Anno milleſimo treceteſimo octuageſimo ſexto Petro Abbate huius Abbatiæ portæ erectæ ſunt, & pars tota vrbi oppoſita, excepto loco, qui vocatur ſancta Catharina, is enim ſub eius prędeceſſore extructus fuerat.

CAP. XXIII.

De ſcuto & gladio S. Michaelis in hoc loco aſſeruato & exhibito.

IN hac Eccleſia montis S. Michaelis aſſeruantur gladius & ſcutum humanis conflictibus neutiquam propria, parua enim ſunt & ex ære fabrefacta: ſcutum eſt figuræ oualis quatuor paruis crucibus munitum, gladius pugionis ſpeciem præfert, exhibeturque pijs peregrinis in memoriam quorundam memorabilium facinorum S. Michaelis dum propinquaret gentem humanam ac conſolaretur.

Poſt dedicationem huius Eccleſiæ celebratam quamprimum adfuerunt venerandi homines ex regione vltra Angliam ſita, (quidam putant ex Irlandia, quam nominant Iberniam) tuleruntque hæc arma & inſignia. Publicè affirmarunt in ſua prouincia ſub regno Elgæ Principis fuiſſe ingentem ac horrendum ſerpentem pilis tanquam gladijs aſperum, veneno lethifero plenum, cuius vomitu & afflatu peſti-

fero herbæ areſcebant, arbores vrebantur, animalia deficiebant, homines expirabant, patria ipſa deſerta manebat atque inhabitabilis. Sæpe recedebat ad nitidum & lucidum fontem originem cuiuſdam fluuij, quem ita inficiebat, vt bruta animantia ac homines abſque periculo mortis ſubitæ ſumere non poſſent. Accolæ igitur illius fluuij maximis preſſi anguſtijs Dei opem ſollicitauerunt, & conſilio Epiſcopi Sancti atque religioſi paſtoris, tribus diebus ieiunia & preces continuauerunt, non mediocres eleemoſynas erogantes, vt aduerſus draconem ita funeſtum Deum haberent propitium. Tunc iuſſi omnes arma capere & hoc animal furioſum impetere, vt ad fugam adigerent, aut perimerent quoquo modo poſſent. Conuenerunt ergo omnes bono mane, & ad pugnam ſeſe accingebãt, diuino ſubſidio magis cõfidẽtes quàm armis ſuis ac viribus humanis. Eccleſiaſtici pręcedebant geſtantes crucem, luminaria, reliquias nec non orationes affectuoſas effundentes: ſequebantur laici armati haſtis & pilis nihilominus perterriti furorę ſerpentis illius diabolici eoq́ue magis quod nãſciſcerentur regionem, quam peragrare

ſolebat

ſolebat, omnino aridam & aduſtam. Cum ad antrum ipſius acceſſiſſent, horrendam & ingentem belluam humi proſtratam aduerterunt, & rati eam ſomno ſepultam eſſe, proprijs viribus diffidentes, illam appetere vix audebant, diuina tamen ope nixi, ſagittas innumeras eiaculantur & terrificos clamores atque vlulatus excitant. Immobilis ſtetit ſerpens, ad quem accedunt, frigidumque ac mortuum in mille fruſta diſſecant. Tali morte attoniti, intra eius pedes aduertunt paruulum ſcutum & gladium, quem ferebant, & cum ſibi non poſſent perſuadere quis tam potentem aduerſarium proſtraſſet armis ita imbecillibus & ad tantum effectum improprijs, immortales Deo gratias egerunt ob relatam victoriam, rogaueruntque feruenter vt huius operis authorem reuelaret, cui debitum honorem deferre quàm maximè cupiebant.

Sancto Epiſcopo inter ceteros humi proſtrato, lacrymis perfuſo atque orationi toto corde & animo dedito, S. Michael apparuit & hæc dixit; Ego ſum Michael Archangelus, ſemper Deo proximus ad tutelam & defenſionem mortalium. Scias me bel-

ſuam hanc occidiſſe, quam nimis imbecilli proſternere nunquam valuiſſent.

Hæc arma (nempe ſcutum & gladius) mea ſunt, non quod illis ad hunc effectum egeam, ſed ea attuli & illic reliqui, vt homines armis illis terreſtribus & viſibilibus, apprehendant vim & potentiam ſpiritualem ac inuiſibilem, quàm à Deo accepi vt eos protegerem ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus. Deum ergo laudate qui miniſterio noſtro viſibili, vos ab aduerſario viſibili liberauit. Et tu Epiſcope hæc inſignia cõmitte fidelibus nuntijs deferenda ad montem transmarinum noſtræ memoriæ dicatum vt illius habitatores conſolationis veſtræ fiant participes. Epiſcopus fideliter retulit populo Archangeli reſponſum & mandatum mittendi trans mare paruula armorum inſignia, elegit quatuor viros territorij ætatis prouectæ, præcepitque ne officio deeſſent, & quid præſtare deberent illis expoſuit. Cum mare traiecíſſent, & in continentem deſcendiſſent, ad Garganum Italiæ montem ſeſe conferebant, ignari eorum, quæ nouiſſimè in Normannia contigerant. Itineri ſe dederunt, at fruſtra laborabant, matutino enim

tempore

tempore eodem erant in loco, ex quo die præcedenti migrauerant. Stupefacti adinuicem dicebant, quid hoc eſt? quare fruſtra laborem ſuſcipimus? plures dies inſumpſimus ad montem Garganum S. Michaelis euntes, nec promoti ſumus. Epiſcopus noſter pro certo mandauit, vt iremus ad montem S. Michaelis, nec determinauit id quod determinamus. Pertranſiuimus montem, qui nunc vocatur S. Michaelis mons, is fortaſſis erit, ad quem hæc inſignia debemus perferre, Rogemus conſilium illius qui liberauit regionem noſtram horrendo ſerpente, & ſpes eſt eum nobis inſinuaturum id quod facere expedit. Poſt preces ſumma pietate effuſas obdormiuerunt, & circa mediam noctem ipſis apparuit magna lux, ex qua procedebant hæ voces; debetis pergere ad montem S. Michaelis, qui vocatur mons de Tomba, is locus nobis nuperrimè eſt dedicatus. Quamuis ordinaria noſtra habitatio ſit in cælis, nihilominus ſæpe in terris viſitamus loca, quæ creator præcipit, & adſumus illis qui opem noſtram expoſcunt. Hic locus Deo gratus eſt & à nobis frequentatus, nam nomen eius eſt inſcriptum, inuocabitur glorifi-

glorificabiturq́ue officijs ipſi gratiſſimis. Et ecce lumen diſparuit, voxq́ue loquentis ceſſauit. Nuntij ob hæc monita admodum læti, ad montem de Tomba reuerſi ſunt ad quē cū paucis diebus perueniſſent, ſcutū & gladium deponentes, quæcunque contigerant enarrauerunt & iureiurando omnia vera eſſe confirmauerunt. Inſignia ergo ſumma cum reuerentia aſſeruantur, & nunc peregrinis exhibentur in memoriam S. Archangeli, qui veterem ſerpentem & inuiſibilem draconem expugnauit, vti deſcribit fideliter S. Ioannes Apoſtolus in ſua Apocalypſi.

CAP. XXIV.

Indulgentiæ à varijs Pontificibus ſucceſſoribus S. Petri datæ ijs omnibus, qui in ſtatu gratiæ viſitabunt templum montis S. Michaelis, dicti in periculo maris.

ALexander quartus conceſſit centum dies indulgentiarum ijs, qui viſitabunt templum illius loci, die Reſurrectionis Domini. Ioannes 22. dies 100. Vrbanus V. annum, & dies 40.

Idem

Idem Alexander ſingulis diebus octauæ eiuſdem Reſurrectionis, dies 100.

Idem Papa Ioannes dies 40.

Item ſingulis diebus poſt octauas vſque ad Aſcenſionem, Alexander Papa, dies 100.

Die Aſcenſionis idem Alexander dies 100.

Papa Ioannes, dies 100.

Papa Vrbanus, annum & dies 40.

Singulis diebus octauæ Aſcenſionis, Papa Alexander dies 100.

Papa Ioannes 40. dies.

Item ſingulis diebus octauarum Aſcenſionis & Pentecoſtes, Papa Alexander dies 100.

Die S. Michaelis menſe Maio, Papa Vrbanus annum & dies 40.

Die Pentecoſtes, Papa Alexander dies 100.

Papa Ioannes dies 100.

Papa Vrbanus annum & dies 40.

Singulis diebus octau. Pentecoſtes, Papa Alexander dies 100.

Papa Ioannes dies 40.

Die Sancti Sacramenti, Papa Vrbanus annum & 40. dies.

Die

num & dies 40. Papa Ioannes dies 40.

Die Epiphaniæ, Papa Vrbanus annum & dies 40.

Die Purificationis B. M. Virginis, Papa Vrbanus annum & dies 40. Papa Ioannes dies 100. & ſingulis diebus octau. illius, dies 40.

Die B. M. Virginis in Martio, Papa Vrbanus annum & dies 40. & Papa Ioannes dies 100. & ſingulis diebus octau. dies 40.

Summa Indulgentiarum dictarum, ſingulis annis eſt quadraginta trium annorum & dierum 80. quibus Indulgentijs conſequimur remiſſionem pœnarum temporalium, quas in hoc mundo vel in alio pati deberemus.

Aliæ Indulgentiæ conceſſæ à noſtro S. Patre Nicolao V.

SAnctus Pater Nicolaus V. in honorem Dei & reuerentiam S. Michaelis, omnibus Chriſtianis confeſſis & pœnitentibus viſitantibus deuotè Eccleſiam montis S. Michaelis in periculo, vt vocant, maris, & ex bonis ſuis fabricæ illius aliquid daturis conceſſit ſeptem annos & ſeptem qua-

CAP. XXV.

Aliqua miracula in eodem loco perpetrata, & authoritate publica confirmata.

DIe Sabbathi quarto Maij, 1560. in hunc locum venit puella quædam nomine Thomas Georges ex parochia S. Siluini, patria de Gaux. hanc comitabantur Nicolaus Barbe, & Petrus Mathieu parentes, ſæpe fuerat vexata diu & noctu à ſpiritu inuiſibili, qui 24. Aprilis ipſi apparuit & dixit, ſum ſpiritus patris tui, iubeo itaque vt adimpleas peregrinationem, quam promiſeram ſuſcipere in monte S. Michaelis: in cuius fidem claudo tibi manum & digitos, nec poteris eos explicare niſi illud iter adimpleueris. Prudens puella ſtatim hæc expoſuit Venerabili Sacerdoti Magiſtro Nicolao le Chros illius Parochiæ Vicario, cuius conſilio ſeſe huic itineri deuotè accinxit, & ab eodem litteras teſtimoniales accepit, vt in via & monte S. Michaelis ſibi cautum eſſet. Cum ad locum illum perueniſſet, manu ſtrictè clausâ,

clauſâ, narrauit ea quæ ſupra, & cùm iuſſiſſet ſacrum celebrari Sacerdote vltimo eleuante Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, manus eius æquè facilè aperta fuit, ac ſi nunquam clauſa fuiſſet.

Signatum S. Preuoſt.

Vigeſima ſexta Septemb. 1586. Ioannes Corio ciuis vrbis Quintinæ in Britanniâ, habens filium nomine Iacobum, ita morbo afflictum, vt tribus ſeptimanis non potuiſſet tantillum loqui, aut incedere, vouit eum in hunc locum adducere. Quo præſtito, potentia diuina, & S. Archangeli ope, ſtatim locutus eſt, & vt antea inceſſit.

Signatum, Payen.

Vigeſima Ianuarij 1594. ad hunc montem ducta fuit Guillielmina, vxor Ioannis de Redde, ex parochia Cancalle ducatus Britanniæ, quæ ab anno infeſtabatur à dæmone. Quamprimum à M. Iacobo Payen Abbatiæ Promotore, cui peccata expoſuerat, recepit abſolutionem, & ab eodem exorcizata fuit, conualuit & libera

fuit

fuit tanquam non fuiſſet vnquam poſſeſſa.

Signatum, Payen.

Decima quarta Iulij 1594. Ioannes Dolleuaſt Iacobi filius ex Parochia ſancti Malo de Carneuille Diœceſeos Conſtantiæ, deductus fuit ad hunc locum à matre, fratre, & cognato, vinctus cathenis & à ſex ſeptimanis à maligno ſpiritu infeſtatus. Cum fuiſſet confeſſus & exorcizatus à dicto Promotore, liberatus fuit, & manicas ante imaginem S. Michaelis affixas reliquit, præſentibus religioſis, F. Ioanne de Grimouuil Priore clauſtrali, F. Ægidio de Verdun Cantore, F. Oliuerio Bardoul Priore S. Brola, F. Carolo S. Paer ſub-cantore, & Rollando Liger Priore Chauzai, his omnibus religioſis eiuſdem Abbatiæ & montis præſentibus inſuper Magiſtro Petro Rouſſel Sacerdote, Petro Herpin ſubdiacono, & alijs.

Signatum, Payen.

CAP. XXVI.

S. Franciſci de Paula & Ordinis eius erga eum deuotio.

QVantæ etiam erga illum deuotionis fuerit B. Franciſcus de Paula Ordinis Minimorum Fundator, vel inde abundè colligitur, quod eum in Ordinis ſui Patronum ſingularem aſſumpſerit. Vnde ſacer ille Ordo die eius feſto 29. Octobris officium duplex primæ claſſis ſolemnizat cùm prçuia in publico ad ſonum campanæ conuentu reconciliatione & abſolutione generali per ſuperiorem, ac dein ſacra in communi ſub ſummo ſacro nudis pedibus ac cingulo ad collum in ſignum pœnitentiæ appoſito ſacramentali communione; eodemq; die Prouinciales, Correctores, alioſque ſubalternos Officiales inſtituit ac renouat. Nec mirum cùm & D. Archangelus ſanctitatis ſanctiſſimæque inſtitutionis eius initia ac progreſſus fauore ſpeciali direxiſſe videatur, vt & ſibi ſuoque Ordini in quadrageſimæ perpetuæ obſeruatione vitam præſtitueret. Vnde & pſalmodiæ

modiæ Angelicæ circa illum meditationi & orationi intentum in mentiſque cœleſtes exceſſus raptum ſæpius auditæ. Et memorabile inter cætera illud, quod cap. 25. vitæ illius refertur Angelum illi die quodam, cùm orationi vacaret, apparuiſſe, ac ſcutum, cuius inſigne erat, CHARITAS, ei obtuliſſe. Vbi quidem quem quoque Angelum conformiùs agnoſcere conueniat, quàm D. Archangelum inter Seraphicos ſiue amore diuino totos ac præcipuè accenſos primum, qui & Patri Seraphico S. Franciſco Aſſiſinati, qui quidem & S. ipſum Franciſcum de Paula Parentibus eius à Deo impetrauerat, Charitatis Chriſti ſtygmata, ſeu prȩcipua quinque inſignia impreſſit: vt ſupra relatum eſt. Et cuius interuentu, vt conformiter probabile admodum eſt, B. Patri Auguſtino, & B. Tereſiæ amoris diuini ſagittis corda transfixa, & B. Franciſci Xauerij ex flagrante ſimiliter pectore vox illa: Satis eſt, Domine, ſatis eſt. De cuius proinde etiam inter Euangelicos præſertim per Indias labores erga illum deuotione poſtea ſuo loco. Et cùm propterea eius præſidia & beneficia frequenter Ordo ille experiatur, hoc inter cætera notatu non in-

 dignum,

dignum, quòd anno 1624. cùm R. P. Claudius du Viuier eorum in Belgio tum Prouincialis pro ſui Ordinis Duaci admiſſione ſatageret, multaſque repugnantias, vtpote Oppido monaſterijs multis referto, experiretur, voto facto, quòd ſi Deus piam eam ipſorum deuotionem per interceſſionem S. Archangeli aliorumque Angelorum proſperare dignaretur, conuentum ipſum cum Eccleſia S. Archangeli & Angelorum nomine dedicaret, ita Deo diſponente factum ſit, vt eorum petitio ipſo die apparitionis eius, quæ eſt octaua Maij, fauorabiliter, vt deſiderabant, acceptata fuerit. Et verò cùm Sancto illi Patriarchæ cum Scuto, vt commemoratum eſt, apparebat, quòd eum cum eius Ordine vniuerſo in protectionem ſuam aſſumeret, non obſcurè indicabat, quemadmodum & pro Chriſti gloria Eccleſiæque eius generali protectione aduerſus Draconem & Angelos eius cum Scuto ac inſcriptione, quis vt vt Deus, exhiberi ſolet.

CAP. XXVII.

De Cœnobio S. Michaelis in Lotharingia & aliјs quibuſdam monaſterijs & montibus.

ANno 658. fuit Cœnobiũ S. Michaelis in Lotharingia, in quo S. Sigebertus rex Auſtriæ diem obijt. In ſupplemento Sigeberti fit mentio Abbatis S. Michaelis de Duſa anno 1172. & anno 1174. Abbatis S. Michaelis vlterioris portus. Anno autem 1162. in monte S. Michaelis de periculo maris abbas erat Robertus de monte author ſupplementi Sigeberti, adeo honoratus, vt cum alijs de ſacro fonte ſuſceperit Alienoram filiam regis Angliæ ex Alienora coniuge. Idemque anno 1170. dicitur interfuiſſe quando Gaufridus filius regis Angliæ accepit homagia Baronum Britanniæ, vt in dicto ſupplemento latiùs habetur. Henricus ſecundus rex Angliæ cùm fratre ſuo mortuo ducatum Normanniæ iure hæreditario ſuſcepiſſet, anno 1157. venit ad montem S. Michaelis, vbi miſſa audita ad maius altare, conceſſit Eccleſias Pontis Vrſonis S. Michaeli

& abbati, ac monachis eiuſdem loci præſente Roberto abbate, & Rodolpho priore &c. Nec diu poſt rex proceſſit obuiam Ludouico regi Francorum, qui orationis gratia ad montem D. Michaelis de periculo maris veniebat, eumque ex quo intrauit in ducatum Normanniæ deduxit, & ſuis impenſis decentiſſimè procurauit. In feſtiuitate autem S. Michaelis venerunt vterque rex ad præfatum montem; vnde itum fuit regi obuiam à clero, & populo, magno cum tripudio: intererant vnus Archiepiſcopus, & Epiſcopus, & Abbates quinque; Auditaque miſſa reges Abrincas redierūt; & Francus, & ſui innumeris muneribus donati à rege vſque ad fines ducatus educti fuerunt. Anglus antea Pariſijs fuerat honorificè exceptus, & inita inter eos affinitas Franci filia Angli filio deſponſata.

Idem rex Angliæ Henricus anno 1167. inquit idem Robertus de monte in ſupplemento Sigeberti, ad dictum montem orationis cauſa veniens apud Generum eſt hoſpitatus, & illuc rex Scotiæ quoque ad eum venit. Tanta erat temporis pietas ac concordia.

Anno 1173. venerunt ad montem inter alios

alios(rex enim conuentum habuerat) Abbas Cluniacenſis Stephanus, & Benedictus Abbas Cluniſſinus, qui datis, & acceptis literis ſocietatem cum Abbate,& monachis de monte inierunt: Vti paulò ante & cum Abbate Vizeliarenſi actum fuerat.

Anno autem 1176. idem Abbas de monte Robertus profectus ad regem in Angliam promeruit chartam, & ſigillum omnium eleemoſynarum Eccleſiæ montis, & quæ prædictæ Eccleſiæ datæ fuerant vſque ad præſens tempus, & quæ dabuntur in futurum. Ibidem in dicto ſupplemento.

Ioannes Turpinus in vita Caroli Magni, & Rolandi: Cum ego, inquit, in valle Caroli rege aſtante defunctorum miſſam eodem die (16. Calendas Iulij) celebrarem, raptus in ecſtaſim, audiui choros in cœleſtibus cantantes, ignorans quid hoc eſſet: cumque illi ad ſublimia tranſirent, ecce poſt tergum terrorum militum phalanx quaſi de raptu rediens, prædamque ferens ante me tranſiuit, cui ſubitò mox dixi: quid fertis? Nos, inquiunt, Marſirium portamus ad inferna. Tubicinem virum (Rolandum)cum multis Michael fert ad ſuperna. Tunc miſſa celebrata regi veraciter dixi:

Rex ſcias, quia animam Rolandi cùm multis aliorum Chriſtianorum B. Michael Archangelus deducit in cælum.

S. Arnulphus Epiſcopus Sueſſonenſis præſcius mortis ſuæ ex reuelatione poſt quaſſationem ſellæ ſuæ, & terræ motum iuſſit parari funeri neceſſaria. Sub prima enim, inquit, quaſſatione B. Petrus Apoſtolus ad me venit ſignificans mihi peccata remiſſa & vitæ ianuam patere: Aderat illi beatorum frequens cœtus laudes diuinas continenter modulantium. Sub altera quaſſatione cùm multis angelicis ſpiritibus ſanctus Michael inuiſit, pollicens ſe duce me ad beatam vitam ingreſſurum.

Tertia concuſſione adfuit domina noſtra vera miſericordiæ mater multis ſtipata Sanctarum Virginum agminibus me certiorem faciens de anima mea inter aſſumptionis eius gaudia in cælos transferenda. Obijt 18. Calendas Septemb. 1087. Vide Surium.

LIBER

LIBER QVARTVS,

CAPVT PRIMVM.

DE MONTIBVS S. MICHAELIS Archangeli in Anglia, Hybernia, Germania, Norvvergia, Hungaria, Italia, Dania, Tranſiluania, Moſcouia, Æthiopia, & alijs.

TEmpore primitiuæ Eccleſiæ etiam antè Lucij regis tempora fidei Euangelicæ ſonum in Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, perueniſſe, ſunt qui tradant, & ex Tertulliano, Origene, Theodoreto, alijſque facilè id probari poſſet: ſed multò magis ad preces illius regis, ſub quo chriſtiana pietas, quæ ibi ante propè extincta fuerat, publicè recepta fuit. Ad quod quidem ſicut nec diuina virtus defuit, ſine qua bonum nullum procedit; ita nec angelica deductio, & opitulatio. Angeli enim, teſte Chriſto in Euangelio, gaudent ſuper

ſuper conuerſione peccatorum; imo vnius peccatoris magis, quàm ſuper nonaginta nomen iuſtis. Et ſicut eâ ſecurâ gaudent, ita pro ea obtinenda mirum habent deſiderium, & conamen omne interponunt. Quis deinde S. Germanum cum S. Lupo eòdem deduxerit, & iterum eundem S. Germanum in eandem Britanniam ad expugnandos Pelagianos Inſulam infeſtantes euccauerit, & proſperauerit: Dicam quòd non Angelus Perſarum, ſed Britannorum, qui in ſuum adiutorium, vt præualeret, Michaelem quoque ſollicitauerit, & vt veniret, implorauit; ſcilicet in nullo ad talia ſegnem, aut mole aliqua grauatum, ſed agilem, & planè impigrum ad ea, quæ Eccleſiæ, cuius princeps eſt, regimen concernunt & immenſas diuinæ bonitatis diuitias pro tempore prout inſcrutabilia iudicia Dei, & decreta prouidentiæ eius exigunt, diſtribuendas.

Quod autem de Gallia aliàs diximus, etiam de Anglia ſcribendum exiſtit, eſſe ſcilicet in ea Inſula montem diui Michaelis; nempe in Cornwalia ſeu Cornubia; vbi in auſtrum ſe porrigente littore, ſinus eſt in Lunæ modum, ac in cuius angulo, qui nomen

men ſinui indidit, Mons Michaelis, qui ſaxonico idiomate Michelſthowe, id eſt, locus Michaelis eſt autem mons & præruptus, ſeu confragoſus; & nunc aquis vndique circundatus; nunc verò terræ vicinus pro fluxu, & refluxu maris. Quæ loci natura occaſionem dedit Comiti Oxonienſi Ioanni, vt eum in belli ſedem contra Eduardum 4. licet parùm proſperè, occuparet, ſuis ab eo ad regem deficientibus.

Polidorus Virgilius lib. 10. hiſtoriæ Anglic. agens de diſſidio fratrum dicit oppidum, quod eſt ad promontorium diui Michaelis natura munitiſſimum, in oceanoque contra Normannicum littus Britanniæ citeriori affine eminet, celeriter occupatum fuiſſe, quod quidem rex Rufus oppugnare non potuit fruſtra montem aſcendere tentans, caſtris licet ad radicem montis poſitis: ita vt non prælio, ſed concordia fratres inita conciliari debuerint.

Et lib. 26. dicit idem Petrum Varbecum Tornacenſem pſeudorichardum ſub Henrico ſeptimo in eo vxorem ſuam Catharinam regis Scotiæ affinem, pulcherrimam mulierem, dum ipſe pro regno occupando moueret, collocaſſe, quæ regijs equitibus mon-

nullis prohibentibus vſque ad montem excurrentibus, capta fuerit, & ad regem deducta.

Latitudinem quoque Angliæ à Dover vſque ad templi diui Michaelis promontorium, quod in vltimo Cornubiæ littore eminet, dicit ad 300. millia paſſuum extendi lib. 1.

In hoc monte apparuiſſe D. Michaelem tenet etiam traditio, & ante Nouationem hæreticorum, qui nunc omnia ſacra monumenta violarunt, ingentem fuiſſe ad eum locum peregrinorum confluxum: ita vt etiam monaſterium inſigne in eo conditum fuerit, ac benè dotatum per Guilielmum comitem Moritonij, qui ex largitione patrui ſui Guilielmi primi in eis ſedibus multas poſſeſſiones habebat; Idipſum etiam hæreticis fatentibus hodie, licet pro more ſuo abiectim de ijs loquantur, & cum aculeo venenoſo (tanta eſt eorum prauitas) pro monaſterio enim dicunt ſacellum vni, aut alteri monacho fabricatum, & pro apparitione phantaſma vocant.

Quorum impudentiam, an ignorantiam magiſne admirer, neſcio, niſi fortè dicere velint cacodæmones prauis, & maleficis

ficis hominibus crebrò apparere poſſe, & commeſſari,& ſalis modium cum eis comedere: Angelos verò bonos non niſi ſemel, & vno in loco, aut neſciant diuum Michaelem in veteri teſtamento varijs in locis ac ſæpius ſe manifeſtaſſe, cùm eſſet princeps ſynagogæ, etiam in Perſide. In nouo autem cum ſit Eccleſiæ princeps,quę totum per orbem terrarum quotidie diffunditur ſolùm in Gargano viſum aſſeuerare velint.

In Comitatu Momumuthenſi, qui pars eſt Cambriæ ſeu Walliæ in Britannia maiore, mons eſt præaltus, quem incolæ vocant Yſchyrid Vawr, hoc eſt, montem pręruptum & magnum; qui dicatus eſt S. Michaeli, & ſacellum habet in ipſo eius cacumine poſitum. Quod etſi nunc collapſum eſt, viſitatur tamen feſtis Archangelo dicatis à fidelibus magna cum deuotione. De eo monte traditio ibi vulgaris eſt, vnum fuiſſe eorum, qui patiente Chriſto Domino ſciſſi fuerunt: Et ſanè intuentibus ſpeciem exhibet mõtis in duas partes ſciſſi quaſi per terræmotũ fuerit ſciſſus, & diſiectus, vt inter alios atteſtationem miſit R. P. Leander de S.Martino Anglus S.Th.Doctor

& linguæ

& linguæ Sanctæ Profeſſor in alma Vniuerſitate Duacena.

CAP. II.

Quod in conuerſione Anglorum operam præſtiterit: & S. VVilfrido apparens ei diem obitus prædixerit.

IN conuerſione autem Anglorum, & Saxonum operam ſuam nauaſſe diuinum Archangelum; idque ex officio ſuo per gratiam illam ſublimem à Deo illi collatam, dubitare quis poſſit? Audi quid Venerabilis Beda ſcribit de S. Wilfrido Eboracenſi Epiſcopo, Saxonum Auſtralium Apoſtolo. Cùm enim is Roma in Britanniam remeans in Galliarum partes deueniſſet, tactus eſt infirmitate repentina, & ea creſcente adeò preſſus, vt neque equo vehi poſſet, ſed manibus miniſtrorum portaretur in grabato. Sic delatus in ciuitatem Meldunum Galliæ, quatuor diebus, ac noctibus quaſi mortuus iacebat, halitu tantùm pertenui, quia viueret, demonſtrans. Cùmque ita ſine cibo, & potu, ſine voce, & auditu, quatriduo perſeueraret, quinta demum

mum die illuceſcente quaſi de graui experrectus ſomno exſurgens reſedit, apertiſque oculis vidit circa ſe oculis pſallentium ſimul & flentium fratrum: ac modicùm ſuſpirans interrogauit vbi eſſet Acca presbyter: qui ſtatim vocatus intrauit, & videns eum meliùs habentem ac loqui iam valentem, flexis genibus gratias egit Deo cum omnibus, qui aderant, fratribus. Et cùm parum conſediſſent, ac de ſupernis iudicijs trepidi aliquantulùm fabulari cœpiſſent, iuſſit pontifex cæteros ad horam egredi, & ad Accam presbyterum ita loqui exorſus eſt: Viſio modò mihi tremenda apparuit, quam te audire, ac ſilentio tegere volui donec ſciam quid de me fieri velit Deus: Aſtitit mihi quidam candido præclarus habitu dicens ſe Michaelem eſſe Archangelum: Et ob hoc, inquit, miſſus ſum, vt te à morte reuocem. Donauit enim tibi Dominus vitam per orationes, & lacrymas diſcipulorum, & fratrum tuorum: & per interceſſionem ſuæ beatæ genitricis ſemperq́ue Virginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac ſeruaberis, ſed paratus eſto, quia poſt quadriennium reuertens viſitabo te. In

patriam

patriam verò perueniens maximam poſſeſſionum tuarum, quæ tibi ablatæ ſunt, portionem recipies, atque ita in pace tranquilla vitam terminabis; ſicque quatuor annis, id eſt, vſque ad diem obitus ſui vitam duxit in pace. Hactenus Beda. Ex quo & illud colligere licet, quòd hic Angelus, qui ægrotanti adfuit, priùs cùm idem Wilfridus, qui & Bonifacius, euangelium prædicans apud grandem vicum dictum Duerſtat, duobus milliaribus à Traiecto ad orientem diſtantẽ, à paganis, & idolorum ſacerdotibus captus, & in carcerem coniectus eſt, eo fine, vt alterâ die occultè ob metum Francorum Chriſtianorum, quorum ea erat ditio, cùm palam non auderent, trucidaretur. Eadem nocte circa gallicantum cùm oraret, ecce venit Angelus Domini cum magna claritate dicens ei: Noli timere, ſerue Dei, quia Dominus tecum eſt. Et videntibus, ac ſtupentibus cuſtodibus carceris liberauit ipſum, præcipiens vt conſtanter Chriſtum paganis vbique euangelizaret. Id quod & is fecit, & eo miniſterio peracto cùm Traiectum perueniſſet, omnia per Angelum patrata ſecum in Duerſtat fratribus enarrauit. Per Friſiam autem,

autem, & Hollandiam & Teiſterbandiam conſtanter Chriſtum euangelizans multa aduerſa paſſus multum populum ad agnitionem fidei Chriſti perduxit. Vt autem credatur idem Angelus fuiſſe, & ea facit ratio, quia qua malicia & pertinacia dęmon huius mundi princeps certat pro Idololatria, eodem, & multò maiori zelo Eccleſiæ princeps contendit pro fidei, & Eccleſiæ propagatione, vt iugum, & ceruices diaboli deprimat.

C A P. III.

S. Guduuallo diem obitus prædicit: in eius ſacra manſione puer mutus curatur, & de eius effigie in moneta angelorum.

SVrius in vita S. Guduualli Archiepiſcopi fol. 517. Die autem, inquit decimo ante obitum ſuum, cùm ſacro altari aſtaret intentus, beatiſſimus Michael Archangelus ei apparuit, & certum tempus ſuæ ex hac luce migrationis indicauit; & pòſt aduenientes SS. Petrus & Paulus confirmant Archangeli nuncium.

Sed & in vita S. Ioannis Epiſcopi Haguſtaldenſis (referente eodem Surio in vita eius fol. 101. tom. 3.) pòſt autem Eboracenſis, in Anglia ſcilicet: Eſt, inquit, manſio quædam ſecretior in nemoſe raro, & vallo circundata non longè ab Hagulſtaldenſis Eccleſiæ diœceſi, id eſt vnius fermè milliarij, & dimidij ſpatio, influente amne Thino ſeparata, habens cœmiterium S. Michaelis Archangeli; in qua vir Dei ſæpius maximè in quadrageſima cum paucis lectioni, & orationi operam dare ſolebat; in qua & curauit puerum mutum eò ex villa quadam non longè poſita accerſitum, qui ne vnum quidem ſermonem vnquam profari poterat: Cùm enim vna quadrageſimæ eſſet impleta ſeptimana, ſequenti dominica iuſſit ad ſe intrare puerum, ingreſſoque linguam ex ore proferre, ac ſibi oſtendere iuſſit, & apprehendens eum ſignum ſanctæ crucis linguæ eius impreſſit, quam ſignatam reuocare in os, & loqui illum præcepit, dicito, inquiens, aliquod verbum; dicito, ya, ya, quod eſt lingua Anglorum, ſignum affirmandi, & conſentiendi, id eſt, etiam, quod ille ſoluto linguæ vinculo cùm protuliſſet, vlteriùs litte-

ras

ras, ac ſyllabas, & ſententias, ac ſermones longiores elocutus eſt. Et ita in ſacro illo loco ad S. Epiſcopi preces linguæ habilitatem adeptus vnà cum aſtantibus Deo immenſas ibidem & ſancto (non dubium) Michaeli, gratias perſoluit.

Ipſa verò pulcherrima moneta aurea Anglorum, in qua perpulchrè imago S. Michaelis cruce draconem diabolum comprimentis ſatis arguit Anglicanam erga diuum Archangelum pietatem. Verùm à quo primùm tempore moneta iſta cudi cœperit, quæritur. Auguror à quo tempore reges Angliæ hæreditario iure Normanniam occuparunt, & diuo Michaeli etiam in Gallia admodum ſe deuotos prçſtiterũt ſicut ſupra latiùs diximus.

Legitur de rege Adelſtano, quòd duo cœnobia ædificauit monachorum Ordinis S. Benedicti; alterum apud Meltoniam, alterum ad Michilinum vicum Somerſeti comitatus.

CAP. IV.

Viro militari impœnitenti peccata in libro deſcripta Angeli patefaciunt, & ijs diſcedentibus aduenit dæmonum turba.

BEda lib. 5. cap. 14. refert mirabilem tempore regis Coenredi, qui poſt Edilredum regnauit, hiſtoriam de viro militari impœnitente, cui ante mortem duo pulcherrimi iuuenes librum modicum, & pulchrum, in quo bona omnia, quæ vnquam fecerat, pauca, & modica deſcripta erant, legendum dederunt: quibus digreſſis ſubitò, inquit, ſuperuenit exercitus malignorum, & horrendorum ſpirituum, domumq́ue hanc & exteriùs obſedit, & intus maxima ex parte reſidens impleuit. Tunc ille, qui & obſcuritate faciei tenebroſæ, & primatu ſedis maior videbatur eorum, proferens codicem horrendæ viſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis iuſſit vni ex ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferri: quem cùm legiſſem, inueni, inquit, omnia

ſcelera

ſcelera non ſolùm quæ opere, vel verbo, ſed etiam quæ tenuiſſima cogitatione peccaui, manifeſtiſſimè tetris in eo eſſe deſcripta literis: dicebatq́ue ad illos, qui mihi aſſederant, viros albatos, & præclaros: quid hîc ſedetis ſcientes certiſſimè, quia noſter eſt iſte? reſponderunt: Verùm dicis, accipite, & in cumulum veſtræ damnationis ducite. quo dicto ſtatim diſparuerunt, ſurgenteſque duo nequiſſimi ſpiritus habentes in manibus furcas percuſſerunt me, vnus in capite, alius in pede. qui videlicet modo cum magno tormento mea viſcera irrepunt in interiora corporis mei, moxq́ue vt ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni clauſtra protrahar. Sic loquebatur miſer deſperans, & non multò pòſt defunctus, pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere ſuperſedit, in æternum ſine fructu pœnis ſubditus facit.

CAP. V.

Cultum eius etiam in Scotia viguiſſe.

IN Scotia quoque Archangeli cultum viguiſſe ſatis exemplo, ac facto ſuo demonſtrauit Iacobus IV. rex vir ſummæ pietatis & erga ſanctos, ac pias peregrinationes auſterè deditus: qui circa annum 1512. cùm tres naues animo ſuo pares inſtituiſſet: primam Michaelis; ſecundam Iacobi patroni ſui; tertiam Margaretæ, quod reginæ vxoris è Danorum regum ſanguine ortæ nomen erat; titulo, & nuncupatione voluit inſigniri, atque ipſemet naui Michaelia vſque ad Maiam Inſulam vehi non diu pòſt viuens. In Mona verò Inſula, quæ regni eſt Scotiæ, oppidum eſt, quod S. Michaelis dicitur.

CAP. VI.

De monte S. Michaelis in Hybernia: & quibuſdam in eo mirabilibus.

NVnc, quoniam ſitu quodammodo ſe conſequuntur tres montes nomine S. Michaelis, in Normannia, Anglia, & Hybernia eodem in mari conſtituti; de monte, qui in Hybernia eſt, dicendum eſt. De quo nihil quidem hactenus legi, nec in chartis quidem coſmographicis vidi; ſed prout accepi à fide dignis litterarum humanitatis,& ſacrarum ſtudioſis ea referam: Nam & in ſcriptis narrationem ab eis habere curaui.

In Hyberniæ illa parte, quam Deſmondiam vocant, mons eſt, ſiue immenſum ſaxum immenſæ magnitudinis mari vndique circundatum,quod Hybernicè vocant, Carik Mihil, hoc eſt, mons ſiue petra S. Michaelis. Notorium autem eſt in eius montis ſummo cacumine ſeptem eſſe templa nomine S. Michaelis dedicata, ac totidem cœmiteria, necnon limpidiſſimum in vno cœmiterio fontem perpetua ſcatu-

rigine manantem qui cum aliquis ex eo lauat, nullam amplius ſine benedictione præbet aquam, ac ſi aliquod furtum toto monte eſt commiſſum, ne vnica quidem aquæ gutta, donec benedicatur, apparebit. Illud quoque admiratione dignum quoad illa templa, vt aues nullæ in aëre ſupra illa templa liberè volare poſſint, ſed ſtatim in terram concidunt. Omnes quoque, qui ad illum montem peregrinandi gratia ſe conferunt, auium carnibus, ouiſque, ſi ratio temporis permittat, veſci poſſint. Porro aues, quæ in eo monte capiuntur, eiuſdem propè ſunt magnitudinis cum ouibus ac candidi coloris, adeoque pingues, vt vix mandi poſſint. Sed farcimina, quæ ex ventre eruuntur, ad multos dolores & morbos leniendos, plurimum valent, ſi tantum ægrotantium membra inde inungantur, ſiue illuantur. Aſcenſus in montem admodum eſt difficilis, vt in eum non niſi cum magno molimine, & conatu ac cautela irrepere quis poſſit, quin in vaſtiſſimum pelagus præceps cadat. Deus tamen, & loci patronus S. Michael Eccleſiæ princeps id beneficium peregrinantibus præſtat, vt à periculo immunes euadant. Arcentur autem

tem fœminæ ab eius montis aſcenſu. Vnam tantùm memorant quæ peregrinationem illam ſuſcipiens in ipſo montis aſcenſu occubuit. Sanè Boterus agens de Hybernia dicit in Momonia duas eſſe inſulas, in quarum vna, quæ maior eſt, nunquam intrauit animal fœminini ſexus, quod ſtatim non fuerit mortuum, in altera, quæ minor eſt, nunquam aliquem naturaliter eſſe mortuum, quam propterea Inſulam viuentium vocant. Diſtat autem mons hic, de quo agimus, à portu ſex milliaribus Hybernicis, quæ ad duo Belgica referri poſſunt. Extat verò in maritima ora Hyberniæ è regione eius pulcherrimum monaſterium S. Michaelis nomine dedicatum, in quo permulti monachi vitam religioſam ducunt, ac ferè eam regionem occupant. Illis præeſt vnus prior. Incolæ, ac alij per Hyberniam diuum Michaelem in ſumma habent veneratione, eum patronum ſuum & aduocatum nuncupantes, ac deuotè admodum, & creberrimo confluxu eam peregrinationem ſuſcipientes. In coſmographia porro Gerardi Mercatoris exhibentur in littore Deſmondiæ ſeptem montes, à quibus pars illa prouinciæ illius denominatur, & ibi adhuc

huc ſacellum quod vocant Carik Capel, in quibus forte montibus Eccleſiæ ſeptem erant Archangelo dicatæ. Nam alium aliquem montem in littore illo ſub nomine Carik Mihil Mercator non exhibet; Sed & prægrandium in ijs partibus auium copiam eſſe atteſtantur Hyberni. Illud quoque hic addendum eſt, quod in vita S. Malachiæ legitur, eum videlicet in vico dicto Eccleſia S. Michaelis ſanaſſe miraculosè mulierem phreneticam.

CAP. VII.

De apparitione, & cultu eius in Germania.

QVo zelo, & ardore diuus Archangelus ſtatim in Eccleſiæ primitijs S. Maternum, & eius ſocios ad Coloniẽſes, Tungros & Treuiros pro Euãgelij prędicatione à principe Apoſtolorum deſtinatos, ſit proſecutus, & adiuuarit, æſtimandum relinquimus. Neque non veriſimile eſt ibi eius, qui Eccleſiæ princeps eſt, adeſſe præſidium, & præſentiam, vbi vicarius Chriſti, & vertex Apoſtolorum S. Petrus ſuum per vniuerſum orbem in piſcium

ſcium capturam expandit rete.

Veniendum eſt ad annum Chriſti circiter 715. ſecundùm Genebrardum, quo S. Bonifacius Hybernus à Gregorio eius nominis II. Papa in Germaniam mittitur ad prædicandum, qui & primus ibi Archiepiſcopus Moguntinus creatus fuit, & Apoſtòlus Germaniæ nuncupatur. Qui cùm in Thuringiam appuliſſet, magnus ſecutus eſt fructus. Nam inter alia ibi templa inſtaurabantur; Et, vt Surius in eius geſtis fol. 477. monaſteria conſtruebantur atque in ijs illud etiam eſt extructum, quod eſt in Ordoff, in honorem S. Michaelis Archangeli congregata ibi ſeruorum Dei multitudine victum ſuo labore comparantium. Quòd autem illud in honorem S. Michaelis ædificatum fuit, ratio eſt: Cùm enim vir Dei in Thuringia verſaretur prędicans, ac baptizans apud flumen Oratham, ibi tentorijs fixis quadam nocte permanſit. Tota autem nocte illa lux cælitus ſparſa locum, in quo ipſe manebat, ambiuit, atque in ipſa luce S. Michael Archangelus ei apparuit, eumque in Domino confortauit. Locum autem illum ab Hugone obtinuit, atque ibi ſublatis vepribus ædificata Eccleſia, & monaſterium,

naſterium, quòd & locus & fundator angelica viſione digni fuerint habiti. Ex antiquo, inquit, Codice, duas, addit, Eccleſias cõſtruxit, vnam quidem Friſlarię (Fritſlar) in honorem S. Petri Apoſtolorum principis: Alteram verò Amanaburgi in honorem S. Michaelis Archangeli; & duo monaſteria duabus adiunxit Eccleſijs. Pòſt autem relictis Thuringis Cattis, ſiue Heſſis ad Bauaros ſe conuertit; Inde Romam &c. Vides hîc bellè coniungi SS. Petrum, & Michaelem: vterque enim Eccleſiæ princeps.

CAP. VIII.

In Caſtris Henrici I. Imper. & Othonis I. ac aliorum ſignum præcipuum fuit Angeli effigies.

QVanta autem ex eo tempore in diuum Archangelum ijs in locis deuotio viguerit, multa atteſtantur. Henricus etenim primus eius nominis Imperator pater Othonis primi in bello contra Vngaros cùm ſuos milites egregiè ad pugnam incitaſſet, ac ipſe in acie verſaretur,

tur, in primis, medijs, & vltimis coram ſe Angelum habebat: hoc enim vocabulo, effigieque ſignum maximum erat inſignitum: Id quod conſpicati milites acceperunt fiduciam, magnamque conſtantiam. Witichindus lib. 1. geſtorum Saxonic. idemque loquens de bello Othonis primi contra eoſdem Vngaros dicit quòd in quinta legione (erant autem octo) quæ erat maxima, & regia dicebatur, ipſe princeps vallatus lectis ex multis militum millibus alacrique iuuentute, coramque eo Angelus, penes quē victoria, denſo agmine circumſeptus. Vbi additio habet, Angelus ſignum regis militare. Id quod & noſtro ſæculo Fredericus Palatinus comes ſuſcepto præfecturæ ſuæ imperio contra Turcas imitatus vexillum ſuum atque labarum eo hieroglyphico inſigniuit; videlicet imagine Angeli dextra Machæram, ſiniſtra ſchedam quandam ferentis cum hac inſcriptione, E cælo victoria. Ita Melchior Sonterus lib. 2. de bello Panomio. Sanè cùm Angelus nominatur rectè per excellentiam Michael intelligitur, maximè vbi, & quoties res miræ virtutis agitur, & de militia, cùm

cùm ipſe princeps ſit militiæ cœleſtis agminis.

Simile eſt quod Bonſimus decade 2. lib. 1. agens de S. Henrico Imperatore: Et cùm ſæpe, inquit, Euchariſtia ante prælium muniret exercitum, Laurentium, Georgium, & Adrianum cum armato Angelo diuos aciem ſuam prçceſſiſſe ſuſpexit. Vnde Bozius lib. 7. c. 5. Henricus Imperator tam ſtudioſus, inquit, S. Michaelis cultor non mirùm quod ſupra omnes Imperium (Germanicum) amplificaſſe videtur, ſicut omnes vitæ ſanctimonia, & puritate ſuperauit: is enim neque Pontificis Romani legendi, vel aliquo iurium ſacrorum, quæ Othones ſacris viris adempta in ſe tranſtulerunt, vti voluit, &c. & tandem Contardum Franciæ ducem ſibi ſubſtitui curauit. Hæc ille.

CAP.

CAP. IX.

Quod Henricus II. Imper. Monaſterium in honorem S. Michaelis inſtituerit, & Eberhardus Eccleſiam dedicauerit.

QVod dictis cōſentaneum eſt, Henricus II. Imperator, qui cum ſua Conthorali Imperatriceetiam virgine fuit fundator Babenbergenſium, ſeu Babergenſium Epiſcopatus; inter alia ſanctiſſima opera etiam monaſterium conſtituit ſub monachali regula in honorem S. Michaelis, & S. Benedicti. Ita Nauclerus poſt Abbatem Vrſpergenſem. Refugium enim, inquit, certum in angelico præparauit præſidio. Et vt idem ait, Eberhardus primus Eccleſiæ Bambergenſis Epiſcopus ordinationis ſuæ anno 13. dedicauit Eccleſiam S. Michaelis in monte. qui mons alibi mons S. Michaelis, alibi mons Monachorum appellatur. In cathalogo Epiſcoporum Bambergenſium habetur, quòd illud monaſterium conſtructum, & fundatum fuerit anno 1009. vide chronic. Hinſangienſe.

Gaſpar

Gaſpar Binchius in prima centuria monaſteriorum Germaniæ: Ratio, inquit, fundati huius cœnobij hæc imperatori Henrico fuiſſe perhibetur: Aiunt illi in ſecreto quodam ſacello deuotiùs aliquando oranti apparuiſſe Michaelem Archangelum, qui femur regis tangens (vnde claudus factus legitur, qui rectus priùs inceſſerat) Euangelicumque codicem oſculandum ei porrigens, in hæc verba eum conſolatus ſit: Ne timeas electe Dei, velociter ſurge, atque hoc ſignum pacis diuinitus tibi tranſmiſſum ſuſcipe, Deique cultum ſtrenuè propagare perge, &c. Viſitur, inquit idem, hodie adhuc ante fores templi, quod eſt in monte monachorum, imago quædam Henrici huius fundatoris, vbi in teſtimonium quaſſati femoris, & claudicationis, lapillus ſiniſtro eius pedi à pictore ſtudioſè ſubiectus eſt. Alia de dicto monaſterio, & de donis, locis, & prædijs diuo Michaeli donatis eodem in loco videri poſſunt. Quod autem S. Benedictus eum à calculo liberaſſet, & bellum in Apulia geſſiſſet, ideo vtrumque recognouit, & honorauit.

CAP. X.

Bambergenſes ad montem S. Michaelis proceſſionem inſtituunt & per eum præſulem ſanctum Othonem à Deo impetrant, qui monaſterium D. Michaeli extruxit, & alia loca inſtaurauit, & de montis illius æſtimatione.

MEmorabile eſt, ne ab hoc propoſito digrediar, quod anno 1102. (referente Surio in vita S. Ottonis) mortuo Ruperto Epiſcopo Bambergenſi, allatiſque ad Imperatorem Henricum IV. Epiſcopatus inſignibus annulo, & pedo: is ſex menſes ad prouidendum petiuiſſet. Clerus interim, & populus pro idoneo paſtore Deum attentiſſimè deprecabatur. Cumque poſt pręfixum ſex menſium tempus, nuncij tam clerici, quam laici ad aulam Imperatoris eſſent profecti; cæteri omnes à minimo vſque ad ſupremum proximo ante Saluatoris natalem Dominico die, inſtituta cum crucibus proceſſione ad montem S. Michaelis aſcenderunt ſuffragia petituri vt beatiſſimus Michael Ar-

 chan-

changelus cœleſtis militiæ ſignifer ſuis precibus à Domino ipſos bonum, ſtrenuum, peritum paſtorem, & præſulem impetraret,

Eos autem pro ſua miſericordia, & veritate exaudiuiſſe dominum Deum, & beatiſſimum Michaelem Archangelum, ipſe certus rei probauit euentus. Datus enim ijs fuit ſanctus Otto Imperatoris Cancellarius, vir tum gratia, & animi virtute, tum corpore, & habitu tamen clericali inſignis. Qui quàm Eccleſiæ vtilis fuerit, apud Surium in actis eius requiri poteſt. Multa quoque is monaſteria fundauit, & in ijs vnum Micheleuualt in fundo proprio patrimonij Eccleſiæ: aliorum verò inſtaurator fuit: Nam vt Gaſpar Bruſchius in catalogo Epiſcoporum Bambergēſium refert. Montis item monachorum, quod in honorem S. Michaelis olim ab Imperatore S. Henrico inchoatum, & liberaliſſimè donatum, iam verò incuria & negligentia monachorum ruinoſum, non ſolùm reædificauit, firmauit, ac magnificentiſſimè illuſtrauit anno 1117. ſed & in eo quandoque habitauit. Imo verò (ita enim Surius refert) in eo ante mortem monachus fieri voluit, & impetrauit

trauit ab Abbate S. Michaelis, iuſſus tamen ab eo (quod non expectabat) in Epiſcopatu perſeuerare. Tumulatus autem fuit in ipſa Eccleſia S. Michaelis honorificè anno 1139. tertiò nonas Iulij, Epiſcopatus ſui anno 37.

Eiuſdem S. Henrici Imperatoris tempore electus fuit in Archiepiſcopum Treuirenſem S. Poppo, tam ipſius cleri, quàm Imperatorijs ſuffragijs anno 1015. oriundus ex Auſtriæ ducibus, & filius ducis Ludolphi, creditus Apoſtolus Danorum. Iſque haud impari pietate affectus egregium templum in diui Michaelis honorem excitauit, quod nunc S. Simeonis, quod is ibi ſit ſepultus, dicitur. Treuiris ſcilicet. Ita Petrus Cratepolius in catalogo Archiepiſcoporum Treuirenſium. Tantæ autem æſtimationis fuit mons S. Michaelis, & cœnobium apud Bambergam vt Hermannus Epiſcopus Bambergenſis cùm Eccleſiam S. Iacobi erexiſſet, & 25. Clericos dato eis præfecto inſtituiſſet: pòſt eodem præfecto mortuo locum ipſum cum omnibus ſuis appendicijs Egberto Abbati S. Michaelis attribuere maioris loci gratia voluerit, licet clerici plurimùm obſtiterint, & magna eo

nomine in ciuitate tempeſtas exorta fuerit. Robertus in ſupplemento Sigeberti.

CAP. XI.

In eius honorem Sigebergenſe cœnobium aſſignatur. Viennæ oratorium extruitur. Epiſcopus Conſtantienſis eius baſilicam conſecrat. Epiſcopus Hildeſemenſis ei monaſterium extruit.

SAnctus Anno Archiepiſcopus Colonienſis anno 1066. 10. Calend. Octob. nomini S. Michaelis Archangeli ſpecialiter aſſignauit in honorem omnium cœleſtium virtutum Sigebergenſe cœnobium, ac conſecrauit ſub patrocinio glorioſi ducis Mauritij, & ſociorum. Viſio autem quædam antè, & pòſt apparuit: Idemq́ue ante ſuam mortem venit ad Sigebergenſes tunc cùm dedicationis Eccleſiæ, & S. Michaelis agerentur ſolemnia. Locum quoque ſui ſepulchri baculo deſignauit. Surius in vita eius.

Notabis autem in Auſtriaca domo, quæ tot Archiduces produxit, magna cura veneratum

neratum fuiſſe Archiducem cœleſtis militiæ Michaelem.

Viennæ quoque cùm mortuus eſſet S. Rembertus 2. Bremenſis Archiepiſcopus, ſucceſſor eius S. Adelgarius eius ſepulchrũ extructo, atque in honorem S. Michaelis, Sanctorumque Martyrum Stephani, & Viti dedicato oraculo exornauit. Surius in vita S. Remberti fol. 839.

Anno 867. Epiſcopus Conſtantienſis reliquias S. Othmari Abbatis Sangallenſis intulit in baſilicam eius magna ſolemnitate, & gaudio populi, omnibuſque peractis conſecrauit Eccleſiam S. Michaelis. Idem fol. 264.

S. Berwardus Epiſcopus Hildeſemenſis, ſiue Hildiſmenſis inter alia extruxit quoque monaſterium S. Michaelis in loco quodam ſqualido, & dotauit. Idem fol. 475.

Idem Surius in vita S. Wolphelmi Abbatis Bruwilerenſis fol. 794. ſtatuentes ibi (inquit, ſcilicet in parochia quadam) duo altaria; ſuperius quidem in honore S. Michaelis Archangeli; inferius, in veneratione habenda S. Martini.

S. Arbogaſtus deceſſit ex hac vita anno 658. ſepultus iuxta patibulum in colle, quẽ

diui Michaelis vocant. Id enim ita poſtularat, vt exemplo Chriſti in loco ſceleratorum ſepeliretur. Poſtea tamen annis labentibus fuit ibi erectum monaſterium S. Arbogaſti, Epiſcopi ſcilicet Argentinenſis. Vide catalogũ Epiſcoporũ Argentinēſium. Conrardus à Sultow Epiſcopus Verdenſis ſepelitur Luneburgi apud S. Michaelem in catalogo Verdenſium. Æneas Syluius in hiſtoria Bohemica c. 34. referens originem ſectæ Huſſitarum: Pragæ, inquit, quæ hæreticorum erat Aſylum, apud Eccleſiam S. Michaelis per id temporis populum inſtruebat Iacobellus Wiſnenſis literarum doctrina & morum præſtantia iuxta clarus: ſed is tamen à Petro Dredenſi in ſectam tractus ex illo Ioannis 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem &c. Ac ex codicibus Dionyſij præſertim, & Cypriani communionem calicis laudantium, prohibitus apud ſacellum S. Michaelis Archangeli prædicare; cathedram ſortitus in templo maiore S. Martini populum cœpit ad calicis cõmunionem commouere.

CAP.

CAP. XII.

Quòd S. Elizabethæ Virgini cum thuribulo aureo apparuerit, quòd Rudolphus in eius die, vel intra octauam Imperator ſit electus, & eum poſteris ſuis fauentem expertus.

IN ſecundo libro viſionum S. Elizabethæ Virginis Sconangenſis c. 1. In feſto S. Michaelis in primis veſperis, vidi, inquit, ante thronum maieſtatis Domini tres viros valde glorioſos ſtantes, quorum qui medius erat, excellentior alijs apparebat, & thuribulum aureum in manu videbatur tenere, & dixi cum redirem ad me: Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua. In die autem ad miſſam vidi eundem virum excellentiorem cum inſigni vexillo incedentem comitante eum turba copioſa. Ibi autem in circuitu throni cùm veniſſent ante conſpectum Maieſtatis prociderunt in facies ſuas, atque ita tribus vicibus fuit factum. Obijt illa anno 1164. anno ætatis 36.

Rudolphus ex comite de Habſpurch & Alſatiæ Lantgrauio factus Imperator, qui tot Auſtriacis Cæſaribus, qui eum sũt ſecuti, initium dedit, dicitur electus fuiſſe ipſo ſancti Michaelis vel altero die aut infra octauam, vt alij. Et Chronicon quidem Colmanenſe habet quòd in craſtino S. Michaelis: Eberhardus verò Altahenſis Archidiaconus in ſuis annalibus dicit, quòd circa octauam S. Michaelis. Quo etiam prædicto die quinquaginta pòſt annis, Fredericus Auſtriacus pro imperio pugnans contra Ludouicum Bauarum, qui & ipſe à Rudolpho genus ducebat, captus fuerat, & victus, prout Martinus quidam Monachus prędixerat, & decertauerat. Vnde colligere poſſis poſt tot Imperatores, qui antea apoſtolicam ſedem diu exagitauerant, S. Michaelem ita prouidiſſe, vt eius defenſores ex Rudolpho geniti plurimi eſſent. Nam & quando Ioannes le Maire Grifardus Atrebatenſem ciuitatem mirabili aſtu in obſequium Imperaroris Maximiliani I. aſſeruit, Belgarum teſſera erat diuus Michael; vt refert Pontus Henterus. Auſtriacorum autem Archiducum erga cœleſtium copiarum Archiducem quanta viciſſim pro munere

nere pietas extiterit, oſtendunt quæ ſupra diximus, de S. Poppone Auſtriaco, & templa in eius honorem Viennæ, & alibi facta. Vnde Gaſpar Bruſchius in prima centuria monaſteriorum Germaniæ fol. 175. in precatione diui Imperatoris Frederici tertij pro filio ſuo Maximiliano hæc verba inter alia fuiſſe refert: Comitentur eum ſancti Angeli tui Michael, Gabriel, & Raphael, ſitque illi ſemper victoria de cælo tuo, &c.

CAP. XIII.

S. Benno in eius cœnobio educatur. Apparet ſorori Chriſtinæ animas Deo præſentans. De Eccleſia ſua in monte Guduiſberg in alium locum auolare conſpicitur, & quare.

SAncto Benno ab infantia penè inter ſacras litteras in cœnobio S. Michaelis Archangeli in Hildeisheim ſub monachali ſchemate inſtitutus & educatus ſanctiſſimè fuit, referente Paulo Langio in chronico Atizenſi.

Cæſarius Ciſtertienſis l. 8. c. 45. loquens de ſorore Chriſtina ſanctimoniali, quæ

tantæ

tantæ erat perfectionis vt vita præſens eſſet ei in tędio, & mors in deſiderio: Tempore, inquit, quodam quadrageſimali cùm ſe in proximo paſchate putaret eſſe morituram, mente excedens rapta eſt in locum amœniſſimum (haud dubium quin in paradiſum) in quo vidit altare miri decoris, & ante altare multæ reuerentiæ perſonam, cuius pulchritudo inæſtimabilis erat nimis; quam cùm interrogaſſet, quæ eſſet, vel cuius officij, reſpondit: Ego ſum Archangelus, qui præſento animas ante dominum. Et illa: Nunquid domine & animas de noſtro ordine præſentas? Etiam, inquit, omnium in ordine tuo bene viuentium animas ego præſento ante Deum & adiecit: Non modò morieris, ſed in proximo paſcha. Quod ita actum eſt. Cùm verò adhuc eſſet in prædicto mentis exceſſu vidit ſuper altare mitram magni decoris pendentem, & cùm requireret ab Angelo quid futurum eſſet de anima cuiuſdam ſacerdotis, quem ſpecialiter diligebat, cuius tunc recordabatur: reſpondit, cùm obierit, mitra hac capiti eius impoſita ante dominum illum repræſentabo. Fuit autem Angelus, inquit, Cæſarius, S. Michael, qui, vt dicit authoritas, præpo-

præpoſitus eſt paradiſi. Cæteris enim Angelis diligentior eſt circa genus humanum. Vnde in Daniele c. 10. legitur fuiſſe princeps filiorum Iſrael. Hinc eſt quòd ſuam memoriam in terris haberi voluit, vt ab hominibus, de quorum ſalute ſollicitus eſt, agnoſceretur, diligeretur, & obſequijs veneraretur. Vbi autem in loco ſibi deputato minus veneratur, ibi & minora eius beneficia excipiuntur; ita vt aliquando etiam præſentialiter inde recedere videatur ſecundùm teſtimonium ſequentis viſionis, Eam viſionem c.46. eiuſdem libri deſcribit idem author: Eo, inquiens, tempore dominus Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, qui adhuc ſupereſt, caſtrum in Guduisberg (vbi S. Michael Eccleſiam habebat ſuo nomini ędificatam) ædificauit: ſacerdos quidam religioſus Colonia rediens, cùm monti iam dicti nominis propinquaſſet, S. Michaelem Archangelum in ſpecie bene nota, de eo in vicinum montem, qui Stromberg dicitur, in quo memoria eſt Petri principis Apoſtolorum, alis extenſis volare conſpexit.

Eodem tempore homo quidam Theodoricus nomine de villa proxima cum vxore

vxore ad Eccleſiam properans, de prędicto monte Capſellam cum reliquijs.quam ſæpe viderat, ſuper Stromberg per aërem duci vidit. Ambo illam viderunt, & vtique hodie teſtes ſunt ambo tantæ viſionis. Cùm eſſet autem mons idem fortis ſatis, & ad munimen prouinciæ benè ſitus, nullus tamen caſtrum in eo ædificare præſumpſit, quia hoc non poſſe fieri ob prædictam memoriam referebatur. Prædictus autem Theodoricus hæc verba non attendens, & caſtrum in eo ædificans, antequàm muros eius perfeciſſet, depoſitus eſt. Nec mirum, ſi ab eodem caſtro angelica receſſerunt ſubſidia, cuius omnia ædificia penè ex vſuris cuiuſdam Iudæi, quem præfatus Epiſcopus ceperat, ſunt conſtructa. Hæc ille.

Cap.

CAP. XIV.

Sex milites templi horam canonicam recitantes à paganis ſuperuenientibus per Angelos liberantur. S. Iſerbardus vidit S. Michaelem in auxilium præparatum. Dæmones ab eo fugantur, & cæduntur.

IDem capite ſequenti, Non eſt diu, inquit, quod ſex milites templi in vicina Saracenorum horam quandam canonicam proſtrati dicebant, ex inopinato paganis ſuperuenientibus, cum illi ſurgere vellent & fugere, magiſter eis innuit, vt iacerent: Mira res, vt rex cœleſtis oſtenderet, quantùm ei magiſtri fides, & diſcipulorum obedientia placeret, Angelos ſuos miſit, à quibus infidelium turba turbata eſt: quidam capti, & plures occiſi: cumq; eos, quos Angeli vinxerant, Templarij comprehendiſſent & illis dicerent, vbi eſt exercitus, quem dudum vidimus, à quo capti ſumus, & occiſi? Reſponderunt, quando neceſſe habemus, veniunt nobis in auxilium, quando non indigemus, reuertuntur in tabernacula ſua. Intellexerunt autem

ſanctos

ſanctos Angelos illos fuiſſe, quos ipſi videre non potuerunt, qui laudantibus Deum ſemper adſunt, ipſoſque cuſtodiunt: Ipſi reuera ſunt caſtra Dei, qui Iacob cum timore reuertenti in terram ſuam venerunt in auxilium &c. Caſtra Dei hæc ſunt. Hæc ille. At princeps eorum vbique expeditus eſt S. Michael.

Idem libro 9. c. 61. agit de quodam miraculo, quod accidit ficto cuidam ſacerdoti primitias ſuas celebranti Coloniæ in baſilica S. Michaelis, quæ in porta Martis poſita eſt, qui quoties ſe vertebat ad populum, crucifixi imaginem contra ſe ſtantem vidit lacrymantem.

Libro verò 11. c. 3. dicit, quod S. Iſerbardus ordinis Ciſtercienſis ſacerdos, & cuſtos Eccleſiæ inter alia ſtupenda raptus in cælum viderit Dominam noſtram in immenſa claritate cum ſuis ſacris virginibus, quæ ſe ipſi promiſit in neceſſitate affuturam, & S. Michaelem cum multo exercitu Angelorum præparatum in auxilium ſibi: nam altari & memoriæ ſuæ honorem ſolebat impendere &c.

Item lib. 12. c. 5. loquens de anima cuiuſdam abbatiſſæ. Interrogatus, ait, diabolus

lus à quodam milite Waltero, quot eratis ibi? reſpondit dæmon, noſti nemus in Cottinforſe? optimè inquit, noui: & ille, Non ſunt tot folia in arboribus, quot illic fuimus congregati. Et quid, ait, obtinuiſtis ibi? Reſpondit, heu nihil: fœmina fuit religioſa, ſed & Michael Archangelus ſuperueniens cum fuſte ferreo, ſic nos cecidit, & cædendo fugauit, vt diſpergeremur, quemadmodum puluis, qui à turbine impellitur. Licet autem, inquit Cæſarius, maligni ſpiritus ita ſint in vno loco, quod non ſint in alio: attamen tam agilis ſunt naturæ, vt vno momento diuerſa tranſeant ſpatia terrarum. Hæc ille. Id quod verum eſſe multò magis in S. Michaele principe glorificato, & eius angelis, eſt credendum, vt nunquam deſit vbi de zelo agitur.

CAP.

CAP. XV.

Mons S. Michaelis in Norvvegia, & in Hungaria. Ladiſlaus videt eum capiti fraterno coronam imponentem.

Cochleus in hiſtoria Huſſitarum meminit cuiuſdam Wenſeſlai de Michelburg, qui fuit Generalis Prior Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, Vnde colligo etiam familiæ cognomentum fuiſſe.

Theuetus fol. 872. refert de monte S. Michaelis in regno Norwegiæ, vbi diuites venæ minerales ſunt à latere epiſcopalis ciuitatis Hagdahent, circa fines ſiluarum, & vbi excelſi montes ſeparant Norwegiam à regno Suediæ, ſeu Sueciæ. Qui mons, inquit, eſt curuus in modum arcus tenſi, ex quo plures fluuij defluunt: Locus eſt populoſus, & haud longè à monaſterio S. Brigidæ, quod olim ad Norwegiam pertinebat.

In Hungaria ſupra, & circa fontes, ſeu initia Drani fluminis eſt mons, & ciuitas S. Michaelis: Necnon alijs in locis Hungariæ, & Pan-

& Pannoniæ multa ſunt loca & oppida eius nominis: & frequens hominibus id nomen. Bonfinius decade 2. lib. 2. fol. 244. hiſtoriæ Hungaricæ loquens de duobus fratribus Ladiſlao, & Geyſa, bellum contra Salomonem parantibus: Ecce, inquit Ladiſlaus, quem Deo chariſſimum ſucceſſus oſtendit, quum Angelum delatam è cælo coronam capiti fraterno impoſuiſſe conſpexiſſet: Vidiſtine frater, inquit, quo te honore benignitas diuina honeſtauit, & quam dextris nunc auſpicijs victoriam portendit?

Idem fol. 230. eiuſdem libri: Ladiſlaum, ait, memorant mutatis armis meridie ſolum mœnibus appropinquaſſe (obſidebat autem Piſonium, ad quod Salomon confugerat) veluti aliquid exploraturum: contra ſpectantibus cunctis veluti ad ſingulare certamen prodijſſe Salomonem (quippe non hominem noſcebat, ſed Ladiſlai militem eſſe arbitrabatur) cùm ad eum veniſſet, diuino quodam oſtento deterritum, è veſtigio pedem retuliſſe. Interrogantibus deinde militibus cur hoſtem præter inſtitutum, & audaciam ſuam aufugiſſet continuò reſpondit ſe non hominem, ſed deos

infeſtos perhorruiſſe, ac ſpectaſſe duos Angelos hoſtis humero deſidentes qui candentibus,& infeſtis fuſtibus hominem propugnarent.

CAP. XVI.

Quod S. Canutus condiderit templum Michaelſlagoſæ, & de monte eius in Tranſiluania, & templo in alba Iulia.

SAnctus Canutus Danorum rex tertium templum condidit Michaelſlagoſæ. ita locus appellatur.

In Tranſiluania mons eſt S. Michaelis infra Heltain,& ad occidentem Iuliæ albæ, in cuius rupe altiſſima eſt caſtellum diui Michaelis ex quadrato lapide pulcherrimè erectum à Romani Imperij durans tempore. Id quod ex antiquitatis monumentis, quæ ibi non pauca ſunt, licet conijcere. Locus eſt fertilis, & diuerſorum fructuum ferax; & in quo coloni bellis ingruentibus res ſuas, & bona collocant, vt ibi turò ab hoſtium ſint incurſibus. Idem author.

Porro in alba Iulia templum eſt D. Michaelis,

chaelis, vbi in vetuſtiſſimo marmore epitaphium cernitur Iuliæ Auguſtæ Matris M. Aurelij Antonini Imperatoris. Author Chiragraphiæ Tranſiluaniæ.

CAP. XVII.

De cultu eiuſdem in Italia, & Europa mixtim.

Ciardus ſacerdos vir fama, & moribus perditiſſimus, cùm eo nomine citatus eſſet, furens exerto ferro aggreſſus eſt S. Epiſcopum (S. Antoninum) volens eius caput diſſecare. At is ictum flexu corporis euitauit: Is abit, & dum latitare quærit, à fœmina expellitur, & verſus Inſulas fugam arripit: & ſeu metu actus, ſeu poſt culpam reſipiſcens ad Ducciam in diui Michaelis Cœnobiolo, accepto minorum habitu vixit innocentius. Surius in vita S. Antonini fol. 42. in Maio. Vincentius Mamardus in vita S. Antonini Archiepiſcopi Florentini (quæ extat apud Surium in Maio.) Cùm, inquit, adhuc puer eſſet, viſus eſt longè plus ſapere, quàm puerilis

ætas pateretur: in primis verò templa, ac religioſas ædes frequentans, ad ſacras conciones cor æquè, ac aures arrigebat. Tantus, adhuc puer, in orationibus, vt diuertẽs quotidie ad Angeli Michaelis templum, cognomento, ad hortum, atque ad crucifixi imaginem procumbens, totius pœne ciuitatis ora in ſe conuerterit, quòd tamdiu, tamq́ue feruenter in orationis ſtudio perſiſteret. In virginitatem quidem etiam adhuc puerulus ita exarſit, vt in eo templo, quod diui Michaelis ad hortum diximus appellari, cùm aſſiduis Deum precibus pulſaret, illud in primis propemodum extorqueret, vt quò ſimilior agno ſponſo redderetur, virgo ſine labe aliqua corruptionis perduraret. Id quod cùm ſe aſſecutum cælitus intelligeret, ne qua daretur anſa tantum theſaurum prædonibus rapiendi, muliebres congreſſus fugiendos ſibi eſſe penitus putauit, etiam pueros comatulos, & iuniores diaconos, & miniſtros. Hæc ille. Ecce quæ, & qualia impetrantur in locis S. Michaeli conſecratis, & quanta S. Epiſcopi in eundem à pueris deuotio.

CAP. XVIII.

Quod S. Furſæum contra ignem, & dæmones protexerit.

IN vita S. Furſæi, qui bis reuixit, ter obijt, mira leguntur, vti de tertio quodam Angelo, qui armatus erat ſcuto candido & fulgureo gladio claritate præcipuus, & eum præcedebat, & qui vnus ex ſupernis agminibus iuſſit, vt ad corpus animam reduceret: cumque iterum mortuus eſſet S. Furſæus poſt alia vidit bellicantia dæmonia ignitas ſagittas contra tres Angelos iacere; ſed angelico ſcuto omnia tela nequiſſimi extinguebantur. Dæmones interea varia obijciunt, reſpondent & diluunt Angeli. Demum victis aduerſarijs videt agmina cœleſtia, & ad terram reuerſurus cum tribus illis angelis, quorum tertius erat ille armatus, dum maximus illi appropinquaret ignis, minacem eius flammam timens, ſancto Angelo ſecum loquenti ait: Ignis mihi appropinquat: Cui reſpondit Angelus: quod non accendiſti non ardebit: licet enim terribilis ſit, & grandis iſte

 ignis,

ignis, tamen ſecundùm merita operum ſingulos examinat, quia vniuſcuiuſque cupiditas in iſto igne ardebit. Et tunc vidit ſanctum Angelum præcedentem ignem flammamq; diuidere in duos muros vtroque latere, & duo Angeli erant in vtroque latere, ab igne qui defendebant eum. Cumque quatuor dæmonia immunda per ignem volantia bellum horribile in medio ignis ſibi conſtruentia cerneret, à ſancto Angelo contra ea propugnatus eſt, & pòſt de cœleſti gloria multis informatus, ac viſu etiam & auditu agminum cœleſtium Dei laudes mirè modulantium recreatus. Ex Surio in eius vita tom. 1. fol. 381.

CAP. XIX.

Ramirus ipſi duo templa ædificat. Victoria miraculoſa trans Danubium per Angelos, pueri S. Michaelis peregrinantur ad mare.

RAmirus ſecundus rex Hiſpaniæ inter alia ædificauit quatuor templa nobiliſſima; primum in Legione; ſecundum ad flumen Ceam, Sanctis Michaeli, & Chriſtophoro; tertium in Durij ripa ſan-

ſanctiſſimæ Virgini; quartum in valle Ornæ, quæ nunc dicitur Duſtriana, ſancto Michaeli. Vt refert Bozius de ſignis Eccleſiæ tom. 2. altera parte.

Anno 1456. Victoria miraculoſa trans Danubium Chriſtianis contra magnum Turcam datur, qui multos perdidit, & fugit timore hoſtium perculſus, cùm nemo eum perſequeretur. Dixerunt autem Turcæ immenſum fuiſſe numerum armigerorum; & ipſi erant ſancti Angeli. Faſciculus temporum.

Anno 1457. Pueri ſancti Michaelis peregrinantur cum magno feruore per turmas viam longam ad mare, & fit timor cunctis ne ſexus nequam agitaret eos: ſed ſtatim ceſſauit propter tædium itineris, & famem quam patiebantur. Idem Faſciculus temporum.

CAP. XX.

Apparet cuidam adoleſcenti contra eum dæmones defendens, & eius animam ad corpus reducit. S. Capraſio diem obitus prædicit.

THomas Cantipratanus lib. apum 2. c. 57. n. 12. agens de quodam adoleſcente Comano priùs diuinitus reſuſcitato, & poſtea baptizato, & in ordinem Prædicatorum in Hungaria recepto, qui deinde in habitu ſæculari in ſcholam datus eſt cum præcepto vt nihil ſicut frater ſine licentia ageret prælatorum. Quod quidem etſi in pluribus obſeruaret, contigit tamen vt lotrici ſuæ tunicam veterem ſine licentia daret, qui & poſt hoc cœpit ægrotare, & acuta febri laborans ſine confeſſione, ſine viatico, vt ei videbatur, ad extrema perductus eſt. Nec mora, vbi dæmones rapere eum voluerunt, adfuit Angelus cum miro nitore pennarum dicens: Fili ne timeas, Michael Archangelus ego ſum, te contra dæmonem defenſabo. Cæteris

ergo

ergo recedentibus vnus dæmonum cauillatior alijs tridente animam rapere conabatur, quem Michael graui animaduerſione corripiens effugauit. Nec mora Michael animam ad paradiſi ianuam introducere voluit: Sed vir grandæuus, & magnæ maieſtatis reſiſtere viſus eſt, dicens, Animam, Michael, ad corpus reducas vt cum alijs peccatis præcipuè inobedientiam corrigat, &c. Hic iuuenis poſtea Comanum populum, vnde ortus erat, in fide inſtruxit, & plurimos baptizauit.

B. Capraſius Abbas Inſulæ Lirinenſis tandem poſt euangelicam vitam cum grandæuus, annoſuſque eſſet, & decrepitus, tempuſque ſuæ reſolutionis inſtaret, apparuit ei ſanctus Michael Archangelus, atque ſuum fælicem exitum poſt biduum imminere diuino nutu reuelauit. Surius 1. Iulij.

Cap.

CAP. XXI.

S. Michael cum S. Gabriele à fratre quodam moriente conſpicitur & eius animam in cælum deducit. Alius frater per preces ad eum fuſas, vt petierat, à purgatorio liberatur & de miſſis ei dicatis.

IN libris doctrinæ Patrum nu. 17. prout habetur in magno ſpeculo exemplorum diſtinct. 2. exemplo 201. inter alia ſic habetur: Poſt hæc autem ingeſſus frater ille in ciuitatem inuenit hominem peregrinum iacentem in platea ægrotum, non habentem qui ei curam adhiberet, & manſit cum eo diem vnum; & cùm veniſſet hora dormitionis eius, conſpicit frater ille Michaelem & Gabrielem deſcendentes propter animam eius, & ſedens vnus à dextris eius & alius à ſiniſtris rogabant animam eius vt egrederetur, & non exibat quaſi nolens relinquere corpus ſuum. Dixit autem Gabriel Michaeli, aſſume iam animam iſtam vt eamus. Cui Michael reſpondit: Iuſſi fuimus à Domino vt ſine dolore eijcia-

eijciatur, ideoque non poſſum cum vi expellere eam. Exclamauit autem Michael voce magna dicens: Domine quid vis de anima hac, quia nobis non acquieſcit, vt egrediatur. Venit autem vox: Ecce mitto Dauid cum cythara, & omnes pſallentes Hieruſalem, vt audiens pſalmodiam ad vocem ipſorum egrediatur. Cumq́ue deſcendiſſent omnes in circuitu animæ illius cantantes hymnos, ſic exiliens anima illius ſedit in manibus Michaelis, & aſſumpta eſt cum gaudio. In qua hiſtoria cùm dicit Gabriel Michaeli vt animam illam aſſumat, non vox eſt inferiori imperantis, ſed inferioris potiùs ſuperiorem rogantis & deſiderium ſuum, vt fieri ſolet, exponentis: vnde conſequenter de iuſſu Domini ſubiuncto Gabrielem Michael inſtruit, eumq́ue ſic vt Superior Deoq́ue proximior illuminat.

Cæſarius lib.12.c.37.agens de puero nobili, & impolluto, qui expleto anno probationis mortuus fuit, & ſtatim apparuit cuidam monacho dicens ſe eſſe in pœnis, non alijs tamen, quàm quia nondum viderat Deum: ſpes enim, quæ differtur, affligit animam. Dictus puer inter alia, Rogate, inquit

quit, ex parte mea Dominum abbatem vt in capitulo orationes iniungat pro me ad tempus, & vt ipſe pro me dicat collectam, ſicque liberabor. Dicente illo monacho; vnde erit iſta collecta? reſpondit de ſancto Michaele. Mane cùm viſio recitata fuiſſet Abbati, ipſe de eodem Archangelo miſſam ſtatim celebrauit, & in capitulo pſalmum, quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, dicendum per ſeptem dies iniunxit. Viſus autem fuit poſtea idem puer (Wilhelmus dictus) ſub pallio diuæ Virginis cum multa gratulatione dicens, modo omnino liberatus ſum, & dicto monacho apparens teſtatus eſt tantùm ſeptem diebus ſe fuiſſe in purgatorio, id eſt, in carentia diuinæ viſionis multa illi de ſtatu quarundam animarum reuelans. Hæc ibi. Ex quo, & ſimilibus exemplis facilè intelligitur quàm piè & ſalubriter pro viuis, ac defunctis S. Archangelus inuocetur, & miſſæ quoque in eius honorem celebrentur: Nam & miſſas peculiares (vt obiter id dicamus) de S. Michaele frequenter celebrari ſoluiſſe, ex libro 3. decretal. tit. 41. cap. 2. conſtare poteſt: vbi quidem earum celebratio,

bratio, vel auditio nequaquam prohibetur, ſed ſolùm præcipitur, ne propter illas, & alias de S. Trinitate, aut ſimiles, de quibus ibi, miſſæ canonicè ſtatutæ dimittantur; vt ex diſtinct. 21. in fine ibidem gloſſator admonet, & ex diſtinct. 1. de conſecratione, c. & attendendum, manifeſtum eſt.

CAP. XXII.

Viri cuiuſdam Itali vſurarij bona omnia opera bilanci imponit & eum tuetur, eius protectio à dæmonibus timeri viſa eſt.

ALanus de rupe refert de quodam viro Italo, qui ab omnibus reputabatur vſurarius. Is inter omnia ſua vitia eam ſolam habebat virtutem, quod ſingulis diebus recitaret roſarium D. Virginis Mariæ prout fuerat edoctus à S. Dominico. Tandem cùm eſſet morti proximus, viſionem habuit, per quam vidit S. Michaelem Archangelum ponẽtem vna parte bilancis omnia bona, quę is homo aliquando fecerat; & ex alia parte videbat dæmones impo-

imponentes omnia eius vitia, quæ infinitè grauiora erant, & bilancem in diuerſum trahebant. qui ex ea re cogitabundus, & attonitus mox conſpexit & diuam Virginem aduenire, quæ propinquans lanci,ſeu lebeti, in qua eius omnia benefacta erant, in altū in aere ſubleuata illi impoſuit roſarium vnum, & ſubitò lanx incœpit pondere ſuo apparere, & grauitate ſua deprimere alteram lancem ex aduerſo poſitam. Vnde miſer is homo è ſomno excitatus,curauit omnes ſuas vſuras confiteri,& ablata reſtituere; & deinde catholicè fuit mortuus. Ex libro exemplorum Martini Dauroult Duaci impreſſo 1603. vbi agit de roſario, fol. 161.

Idem author, vbi agit de iudicio extremo fol. 653. refert ex S. Aug. ſermone 67. ad fratres in Eremo (ſi tamen ſermones illi ſint Auguſtini) horribile exemplum de quadam anima, cuius exitum cùm dæmones diutius expectarent (erat enim iuris ipſorum) dicit à quodam illorum formidatum, ſeu opinatum ne S. Michael ei foret protector, & defenſor.

CAP.

CAP. XXIII.

De cultu, & veneratione eius in alijs mundi plagis, & regionibus.

APud Moſcouitas poſt diuam Virginem magnopere honoratur & inuocatur D. Archangelus Michael, itemque S. Nicolaus: Et in ea parte, quæ Candora appellatur, vrbs eſt nomine S. Michaelis vna, & alia S. Nicolai; vt cultus eius etiam in frigidis regionibus incaleſcat.

In hiſtoria Æthiopum habetur de monaſterio viſionis, & monaſterio S. Michaelis, quod ibi viget.

In miſſa Æthiopes (vt Wicelius ſcribit) ſic orant. Serui tui hodie miniſtrantes, ſacerdos, diaconus, & omnes miniſtri, populus, & ego pauper ſeruus tuus & peccator, abſoluamur per os Trinitatis ſanctæ Patris, & Filij, & Spiritus S. & beatæ Mariæ, cæli ſecundi, Matris Dei; per os Michaelis, Gabrielis, & omnium Archangelorum, & nonaginta nouem ordinum Angelorum, & mille millium miniſtrantium & quorum nomina numerare neſcimus, &c. Ex qui-

quibus collige D. Michaelem poſt diuam Matrem omnibus præferri, & non mirum quòd catholici in ſua confeſſione tam ad miſſam, quàm in horis ad diuum Michaelem ſe quoque conuertunt, & eum pro remiſſione peccatorum habere deſiderant interceſſorem. Vnde & idem Wicelius: Videmus, inquit, Phialas à Genijs in terram effuſas; Draco magnus proſequitur mulierem ſole amictam, id eſt, Eccleſiam Catholicam, quamuis hæc Michaelem protectorem etiamnum ſentiat. Honorant autem illi præter Apoſtolos, & S. Anthonium, ac S. Georgium & non alios. Bellefor. Rurſum apud Æthiopes in Bazia duæ ſunt Eccleſiæ, vna pro viris ſub nomine S. Michaelis; altera pro mulieribus, (quæ alia templa non intrant) ſub nomine, & titulo SS. Petri, & Pauli. Boterus parte 3. lib. 3. relationum.

CAP.

CAP. XXIV.

In nouo orbe multis in locis nomen eius inſcriptum eſſe, & mirabilia per ipſum eius opè geſta. Sancti Franciſci Xauerij in eum deuotio.

IN nouo orbe multis locis nomen S. Michaelis inſcriptum facilè ex chartis eſt videre; neque minùs procliue eſt quod pro conuerſione earum gentium, ad quas Euangelij ſonus non peruaſerat, diuus Michael Eccleſiæ præpoſitus, plurimum pro ſuo zelo, & eximio talento laborauerit. In Peruuia, quæ latiſſima eſt, & opulentiſſima, primus, qui ſe aperuit, & agnitus fuit portus, in die S. Michaelis ab Hiſpanis illius nomine fuit nominatus, veluti & vrbs in illo inſignis piſcatione margaritarum idem tulit nomen. Author fuit Fräciſcus Pizarra anno 1531. qui cum quingentis Hiſpanis, & paucis nauibus mari ſe commiſit repertaque noua Inſula, & ciuitate in ea condita, vtramque diuo Michaeli conſecrauit. Inde Caſſamalcam in Peruuia appellit, cuius tan-

dem fuit occupator. Quem etiam, vt apparet, portum & in eo ciuitatem inter ſeptem Inſulas Aſores vulgò dictas, ſiue Flandricas exhibet Abrahamus Ortelius in ſua Coſmographia. Vbi & rationem reddit cur Flandricæ dictæ ſint; quòd nimirum multò ante à mercatoribus Brugenſibus detectæ fuerint.

Quam ad rem lubet ſubiungere quòd in vita B. Patris Franciſci Xauerij his verbis habetur: Quod hic erga S. Trinitatẽ vnicè erat affectus; Chriſtum vnicè diligebat; Beatæ Mariæ Virgini maximè addictus. Secundùm hos Archangelum MICHAELEM cœleſtium principem, ac propugnatorem Eccleſiæ egregio colebat ſtudio: Angelum quoque cuſtodem ſuum, itemque Archangelos locorum, vbi verſaretur, aut quò tenderet, præſides frequenter in ſuis conatibus, ærumnis, periculis inuocabat.

Et lib. 3. c. 3. habetur quòd cùm in Maurica Inſula barbara apud Molucam ageret fructum ibi ingentem faciens, fortè ipſis Archangeli MICHAELIS ferijs in æde ſacra maxima incolarum frequentia rem diuinam de more faciebat: cùm repente inſulæ tota contremuit, adeo vt ara ipſa videretur

fun-

ditus euerti. Extemplo cæteri diffugere quò quemque agebat pauor: at ille diſſimulato, ſeu potiùs ſpreto metu ſacrificium conſtanter peregit, id eueniſſe interpretans quoad Archangelus Michael diabolos omnes illius regionis diuino cultui aduerſantes malè mulctatos deturbaret in tartarum, in cuius regionis vel vno oppido (Tolam vocant) vigintiquinque capitum millia facta fuêre Chriſtiana.

Anno 1598. (vt habet epiſtola P. Simonis Saba) P. Emanuel Campanellus, P. Alexandri Leni ſocius miſſus fuit in terras Gingianas ad vrbem Chiſtapatanam, cui loco portus S. Michaelis patres nomen indiderunt. Eccleſiam verò B. Virgini de ſpe dedicari placuit: Speramus enim fore vt beatiſſima Virgine, & S. Michaele deprecatoribus ac patronis tota hæc regio ab idolorum ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem traducatur. Quid dicam de Energumenis, qui ad nominationem S. Michaelis ſolam inhorruiſſe feruntur, dæmonibus ferre eius memoriam non valentibus.

CAP. XXV.

Rebelles ob extractum ex eius templo virum puniuntur. Recenſetur conuerſis doctrina de S. Michaele diligenter inculcata. Rex Bamba ab angelis contra hoſtes ſuos protegitur.

IN Hiſpania anno 1520. rebelles inter alia perpetrata facinora Tordeſillanum præfectum è diui Michaelis templo extractum & captum cum duobus ſui muneris regijs miniſtris in crucem ſuſtulerunt à dextra, & ſiniſtra pendentibus miniſtris. Verùm paulò pòſt digna fuit ſecuta vltio: Siquidem Epiſcopus Zamoræ eorum coriphæus in fuga captus, & ſpoliatus demum ad arborem ſtrangulatur, alij à carnifice iugulati corporibus in quatuor partes ſectis. Pontus Henterus Delphius fol. 371.

Annotare licet, quod ijs, qui ad fidem recenter erant conuerſi, etiam de S. Michaele doctrina diligenter inculcabatur. Vnde mirari ſatis non licet, quod Zonaras fol. 121. tempore Anaſtaſij Imperatoris de

Ala-

Alamandaro rege Agarenorum conuerſo: Epiſcopis, inquit, Seuerianis agentibus vt crederet Chriſtum in ſua natura diuina & humana paſſum, iuſſit famulum ſibi aliquid in aure intricare, tumque ſubtriſti vultu cùm eſſe videretur, interrogatus qua de cauſa, dixit nunciatum ſibi Archangeli Michaelis mortem; illos ſcilicet, quòd naturam diuinam paſſam dicerent, ita ſubridens.

Anno 674. Bamba rex Hiſpanorum pius, & catholicus cùm bellum ſuſcepiſſet contra tyrannos, qui Galliam Narbonenſem, & alia regni loca occuparant, primùm id pręſtitit vt exercitum ſuum iuſtitia communiret, ac ipſo in procinctu quos milites adulteria perpetraſſe ſciuit, iuſſit amputari virilibus, ne Deus inde ad iracundiam prouocaretur, id inquiens, quod fruſtra ad bellum is pergit, quem iniquitatis comitatur exemplum. Inde autem conſecutus eſt, vt Angelos haberet commilitones: teſtatur enim dignus, cui credatur author, viſum eſſe Angelis eius vallatum exercitum. Viſus eſt enim Angelorum excubijs protectus exercitus, & ipſos Angelos ſuper caſtra coruſca volitatione protectionis ſuæ

ſigna protendere. Id quod euentus declarauit difficillimo bello celeriter confecto, fuſis tyrannis, recuperatis ciuitatibus. Baron. tom. 8. fol. 513. anno ſupradicto 674. Hæc ſcilicet eſt ratio, qua Angelorum impetratur ſubſidium, qua conſortium.

CAP. XXVI.

De cultu eius in Moſcouia, Iaponia, India, & alijs locis.

APud Moſcouitas, quantus eius ſit honor, ex eo licet intelligere, quod in templo D. Michaelis & Mauſolea, ſeu ſepulturæ magnorum ſint ducum, & in eodem eorundem inaugurationes celebrentur. Vnde & à paucis annis Ioannes Baſilij in eodem templo fuit tumulatus anno 1584. & filius eius Theodorus 18. Iunij anno eodem more maiorum inauguratus. Surij ſupplem.

Apud Iaponios referente Educodo Syluio Patre ſocietatis in epiſtola ſua anni 1555. quidam iam inde ab ipſo Abauo, hæreditario velut iure & quaſi per manus acceperat,

vt à

vt à dæmone torqueretur, atque is impetrandæ ſalutis cauſa, in victimas, & impia ſacrificia patrimonium penè conſumpſerat: verùm dæmones idola inhabitantes quò maiores ſibi honores haberi cernebant, eò vexabant hominem grauiùs: nec illius tantummodo cruciatu contenti, arreptum quoque illius filium annos natum triginta, adeo malè acceperunt, vt multos dies nihil omnino guſtaret, nec iam patrem, vel affines agnoſceret. Baltazar Gagus vbi id reſciuit, eò ſe contulit, cùmque filium in ipſis tormentis offendiſſet, iuſſit eum diui Michaelis nomen pronunciare. Paruit ille, & in ipſa pronunciationis clauſula tam vehementer intremuit, tantâ cum geſticulatione, motuque membrorum, vt qui aſtabant, rei miraculo perhorreſcerent. Verùm diuinæ placitum eſt bonitati, vt ſimul atque ſuper eum Baltazar ſacra illa effatus eſt verba: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, à nequiſſimo Spiritu liberatus, continuò & vſum mentis, rationiſque, & cibum receperit. Deinde verò vnà cum Patre Chriſtiana rudimenta edoctus, & vterque ſacro fonte luſtratus eſt: ac Filius quidem Michaelis, pater verò Pauli nomen

aſſumpſit &c. Vbi & de ſorore eius, quæ Michaelis nomen pronunciare non potuit, poſtea, verò à dæmone quoque fuit liberata. Hæc ille. Scilicet in quibus regnis Chriſtiana doctrina recipitur, eſt coniunctum, vt Eccleſiæ quoque principis diui Michaelis nomen & præpoſitura innoteſcat.

In quadam inſigni viſione cuiuſdam Indi in Mecioacam adulteri ad pœnitentiam excitati (quam refert Ioannes Boterus parte 4. lib. 3.) relatum habetur, quod frater eius paruulus olim mortuus ei apparens declarauit ſe agere in amœniſſimo, & elegantiæ inæſtimabilis loco in ſocietate innumerabilium aliorum puerorum, ſeu iuuenculorum, cuius caput erat ſanctus Michael.

Anno 1593. Patriarcha Alexandrinus miſſis ad Romanum Pontificem Legatis ſe illi ſubiecit, fueruntque tres numero, qui inter alia teſtati ſunt tres adhuc Eccleſias Alexandriæ haberi; S. Michaelis, S. Marci, & S. Georgij. Baronius ad illum annum.

In India S. Franciſcus Xauerius etiam moribundus Archangelum Michaelem cœle-

cœleſtium principem ac propugnatorem Eccleſiæ egregio celebrat ſtudio, teſtante id patre Horatio in vita eius lib. 6. c. 3.

CAP. XXVII.

De præſidio, & actibus eius in fine mundi.

IN fine mundi, quæ, & quanta futura ſit impietas, & atrocitas Antichriſti, explicatur c. 11. Danielis, & c. 13. Apoc. & 2. ad Theſſ. cap. 2. Vbi diuus Paulus: antequam dies Domini veniat, reuelabitur, inquit, homo peccati filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Nempe eius figura fuit Nabuchodonoſor ille Iudith 3. qui Holoferni præcepit omnes Deos terræ exterminari, vt ipſe ſolus à ſuis ſubditis, imò ab omnibus coleretur vt Deus. Et vt Danielis c. 7. Ipſe ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret (ad tempus ſcilicet) & putabit quod poſſit mutare tempora, & dimidium

dium temporis. Et c. 11. eiuſdem Danielis ſub nomine Antiochi Epiphanis, qui & ipſe figura Antichriſti in multis fuit, à medio capitis ibi: Et ſtabit in loco eius deſpe-ctus vſque ad finem, vbi progreſſus eius ab initio, & ſucceſſus, & incredibilis ſuperbia, ac impia atrocitas deſcribitur, inter alia ita habetur: Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, & Deum patrum ſuorum non reputabit, & erit in concupiſcentia fœminarum, nec quemquam Deorum curabit, quia aduerſus vniuerſa conſurget: Deum autem Maoſim in loco ſuo venerabitur, &c. Et vlteriùs id tempus quàm horribile ſit futurum exponit Daniel c. 12. Et veniet tempus, quale non fuit ab initio, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. Et ipſe Chriſtus Matthæi 24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio vſque modo neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur &c. Eius enim aduentus, vt ait Apoſtolus 2. Theſſ.

Theſſ. 2. erit ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs, & in omni ſeductione iniquitatis. Blaſphemias verò impij Antichriſti Beatus Ioannes recenſet Apoc. c. 13. & non eius ſolùm, ſed etiam pſeudoprophetarum ac miniſtrorum eius, quorum ingenti numero per totum orbem abundabit, his verbis; Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos, & aperuit os ſuum in blaſphemias, in Deum blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant: Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos; Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum omnes, qui inhabitabant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt, ab origine mundi, &c. Et ſanè quod illo tempore Draco ille magnus, rufus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſathanas, ſeductor vniuerſi (his eum nominibus depingitur) atrociſſimè ſit graſſaturus, idem B. Ioannes Apoſtolus c. 20. Apocal. rationem hanc adducit, quia idem, quem Angelus apprehendit, & ligauit

uit per annos mille & miſit in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum vt non ſeducat amplius gentes, donec conſumantur mille anni (quod eſt tempus à Chriſti paſſione vſque ad finem mundi) ſoluetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog; & congregabit eos in prælium, quorum numerus erit ſicut arena maris: & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra Sanctorum, & ciuitatem dilectam; quibus & ſimilibus alijs verbis deducitur nimius apparatus, & exercitus Draconis de carcere ſoluti, & beſtiæ eius, id eſt, Antichriſti.

CAP. XXVIII.

De eodem argumento.

VErum quidem interea non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Vt enim Daniel propheta c. 12. præmonuit, ex ore Archangeli Gabrielis ad S. Michaelis præſcriptum: In tempore illo, conſurget (ex aduerſo nimirum) Michael princeps magnus olim Synagogæ, nunc

nunc verò Eccleſiæ Chriſti princeps, cuſtos & defenſor zeloſus. Conſurget, id eſt, omnem ſuam vim, & potentiam (vt Pererius in Danielem) intendet, & conferet, eam enim vim & notionem habet verbum, conſurget, in auxilium bonorum, qui in illa perſecutionis acerbitate, in ſummis conſtituti anguſtijs, maioribus, quàm dici poſſit, malis conflictabuntur. Nec ſolùm ille, ſed etiam ipſorum (ait Pererius) hominum quidam præter cæteros ſanctitate illuſtres ſeſe opponent Antichriſto, & cæterorum ſub diuo Michaele, erunt fortiſſimi duces. horumque duo erunt principes, & anteſignani, de quibus in Apoc. cap. 11. Dabo duobus teſtibus meis (Heliæ, & Henoch) os, & ſapientiam, cui reſiſtere, non poterunt aduerſarij. Addit autem idem Pererius ex Theodoreto tunc Michaelem omnino moliturum vt Elias adueniens Domini noſtri præueniat aduentum, quò Iudæi, qui tunc extiterint, ſalutem conſequantur.

Blaſius Viegas in c. 12. Apoc. ſect. 17. Prædicit, inquit, Gabriel Michaelem Antichriſti tempore tanquam Eccleſiæ præſidem, pro eius, fideliumque defenſione acer-

acerrimè pugnaturum, illaque omnia effe-ćturum, quæ hoc ipſo capite Ioannes commemorat, vt locus hic, inquit, quædam videatur illius commentatio, & expoſitio: Eſt autem, inquit idem Viegas, aduertendum. pro eo quod nos habemus, Conſurget, eſſe Hebraicè verbum Gham, quod ſignificat roborare, & ſuſtinere: Vnde deducitur nomen Ghamud, id eſt, columna. Quare ſignificatur Michaelem futurum eo tempore columnam quandam immobilem, & fortiſſimam, quâ totum Eccleſiæ ædificium ſuſtinebitur. Et hoc quidem magnum eſt prælium, quod vltimò ſcilicet, in cælo, id eſt, in Eccleſia militāte factum, & conſummatum eſt, in quo vt dictum eſt ex Apoc. c. 12. Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & in quo, vt Danielis c. 12. ſaluabitur omnis populus, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIX.

De eodem argumento & nece Antichriſti.

VErum, quia, vt ſaluetur populus in prælio, neceſſe priùs eſt, vt hoſtes proſternantur, atque exterminentur: hoſtes autem duo tunc erunt potentiſſimi, ſcilicet draco è carcere ſolutus, & Antichriſtus (beſtia eius) cum execrabili ſuo pſeudopropheta & aſtipulatore primario, & alijs, in ſummo ſuperbiæ contra verum & vnum Deum eleuatus. De Antichriſto quidem, & eius funeſto exitio poſtquam trium annorum & medij ſpatio fuerit pro ſuo nutu graſſatus: vt diuus Paulus 2. ad Theſſ. c. 2. apertè deſcripſit, certum eſt quod iniquum illum Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Spiritu oris ſui, id eſt, mandato, & maieſtatis ſuæ imperio, ſecundum Chryſoſtomum, Hieronymum, & alios ibidem: & quidem per Michaelem Archangelum, vt Carthuſianus, Hugo Cardinalis, Haymo in c. 11. Iſaiæ, & D. Thomas cen-

ſent;

ſent; in monte ſcilicet Oliueti, vnde Chriſtus cælum aſcendit. S. Bonauentura in compendio lib. 7. c. 14. Poteſtate ſua, inquit Dominus, occidet Antichriſtum, ſiue per ſe, ſiue per Michaelem: occidetur autem in monte Oliueti. Iuxta quam expoſitionem idem inquit Blaſius Viegas; Vide quantæ laudis ſit Michaelem appellari Spiritum oris Chriſti, ſiue ex Chriſti imperio committi Michaeli tanquam ſupremo ſecundùm Christum iudici diuinæque iuſtitiæ præſidi maximum omnium tyrannorum Antichriſtum capitis ſupplicio puniendum. Id quod explicat & Ioannes Apoc. 19. Viui, inquit, miſſi ſunt hi duo (beſtia, Antichriſtus ſcilicet, & eius pſeudopropheta) in ſtagnum ignis ardentis, & ſulphuris, & cæteri occiſi in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius. De dracone autem, & antiquo ſerpente explicatur. Et cap. 20. ſequenti: Deſcendit ignis à Deo de cælo & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia, & pſeudoprophetę cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

Latè Ribera in c. 19. Apoc. Expendit an Anti-

Antichriſtus viuus in ſtagnum ignis cum ſuo pſeudopropheta, & præcurſore ſit miſſus, an verò prius occiſus Spiritu oris Dei. Et tandem ita concludit. Etenim propriè non occidetur, ſed deſinet eſſe inter viuentes; priuabitur omni ſua potentia & lætitia ad locum mortuorum ductus. tradetur autem, inquit, dæmonibus, quorum hoc officium eſt, ſed iuſſu fortaſſe Michaelis. Certè iuſſu Chriſti, ſiue id per Michaelem dæmonibus innoteſcat, ſiue per ipſam Chriſti iuſſionē. Dehiſcet ergo terra ſubitò, & viuus cum ſuo pſeudopropheta rapietur ad ignem gehennæ, quæ pœna acerbior eſt morte. & cætera ibi latiùs. Dubitari autem non poteſt quin Michaelis Archangeli futurum ſit illud prælium. Vnde & Eccleſia in 2. nocturno feſti dedicationis S. Michaelis, legit ea quæ ſequuntur ex B. Gregorio Papa: Quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, vt ex ipſo actu, & nomine detur intelligi quia nullus poteſt facere, quæ facere præualet Deus. Vnde & ille antiquus hoſtis, qui eſſe Deo per ſuperbiam ſimilis concupiuit, dicens, In cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum; ſimilis ero altiſſi-

mo: dum in fine mundi in ſua virtute relinquitur, extremo ſupplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus eſſe perhiberur, ſicut per Ioannem dicitur, factum eſt prælium cum Michaele Archangelo.

In regno Tecuma inter Chiliam, Braſiliam, Paraguaiam, & S. Crucem, Hiſpani, qui eouſque in interceptione Peruana cucurrerunt, quinque habent colonias, quæ ſunt, Salta, Steco, S. Michael, Cordoüa, & S. Iacobus, vt refertur in deſcriptione Imperiorum, & Principatuum mundi impreſſa Audomari apud Carolum Boſcardum anno 1614.

CAP. XXX.

De opera eius circa reſurrectionem mortuorum.

IN reſurrectione mortuorum quæ mundi conflagrationem pone eſt ſecutura, quam operam ſit præſtiturus S. Michael, explicatur per D. Paulum 1. ad Theſ. c. 4. Quoniam, inquit, ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcen-

deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſtō ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cũ illis in nubibus obuiam Chriſto in aera &c. Deſcendet Dominus in voce Archangeli, id eſt, inquit Eſtius in hunc locum, Archangelo Michaele velut præcone Dominici aduentus clariſſimum ſonitum quaquauerſum edente: Nomine enim Archangeli ſignificatur omnium Angelorum princeps, quem non alium eſſe, quàm Michaelem tum ex epiſtola Iudæ, tum ex Apoc. Ioannis c. 12. manifeſtè patet: Eundem verò toti Eccleſiæ cuſtodem à Deo præfectum eſſe, iuſta ratione creditur, vt qui tempore etiam veteris teſtamenti dux, ac princeps populi Dei fuerit, quemadmodum ex Danielis c. 10. & 12. & aliunde poteſt doceri; ſed de hac re plura ſuperiùs, & rurſum lib. 6. Iam quod addit Apoſtolus, In tuba Dei, quam 1. Cor. 15. vocat tubam nouiſſimam, videtur eſſe eiuſdem emphatica repetitio, vt non aliud ſit tuba Dei, quam vox Archangeli, quæ per metaphoram hoc nomine vocetur à claritate, & magnitudine ſoni, penetraturi (vt ita dicam) vſque ad aures mortuorum dormientium

in ſepulchris. Cum enim diuinæ virtutis ſit mortuos excitare, merito vox illa, qua id fiet, tuba Dei nominatur. Huius tubæ, ac vocis meminit etiam dominus apud MATTH. c. 24. cũ de ſuo ipſius aduentu ita loquitur. Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis &c. Ita Eſtius. Ianſenius quoque in eundem Matth. locum, & ad illa Domini verba Ioannis c. 5. Venit hora in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei. Similiter vocem hãc interpretatur & ARchangelo MIchaeli attribuit, annotans veriſimiliter corporalem eam, ſeu ſenſibilem futuram, & ibi vocem filij Dei nominari, tum quia eius iuſſu fiet, tum quia efficaciam ſuam ab eo accipiet. Reſurrectionem ſequetur mox iudicium generale, in quo, vt conſtat ex Matth. 24. parebit ſignum filij hominis in cælo, id eſt, ſignum crucis Dominicæ tanquam ſummi regis, & Imperatoris vexillum, vt antiquiſſimi etiam patres intellexerunt, & Eccleſia ipſa ſatis indicat, dum ex hoc loco de cruce canit: Hoc ſignum erit in cælo, cum dominus ad iudicandum venerit. Id verò, inquit Blaſius Viegas dicto loco allegans
Ioan-

Ioannem Eckium hom. 8. in feſto S. Michaelis, geſtabit Michael, quem Eccleſia Chriſti ſigniferum appellat. Id quod ad maiorem Dei gloriam in illo orbis theatro, non niſi Angelorum principi committendum videtur. Hæc ille. At & ipſa Eccleſia canit.

His additur ex eodem Eckio quod ipſe, & Angeli eius perficient iudicium Chriſti, quando damnatos igni præcipitabunt, ſicut antea dæmones cælo expulerant.

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

DE NOMINE MICHAELIS.

CAPVT PRIMVM.

HOc nomen non eſt naturæ, ita vt illud cum ſua creatione S. Archangelo inditum fuerit; ſed officij, ſeu potius meriti; vt à multis doctè reſoluitur, idque indicat vox ipſa, Michael, quæ Hebraicè ſonat: Quis ſicut ille Deus! ſubaudi, eſt, agit, vel operatur, &c, nemo ſcilicet: Cum enim Lucifer appeteret thronum Dei, à Deo ſe auertens, & plurimos ſecum in eandem impietatem pertrahens, mox ille in deteſtationem tantæ ambitionis & ſuperbiæ, Dei illum gratia confirmante, verba illa, quis vt ille Deus, fortiter, & fœliciter eructauit; ita vt ex illo

tam

Digitized by Google

tam memorabili dicto, & facto, nomen illud glorioſum & zeli honoris diuini plenum ſit ſortitus. Nam & egregij bellatores à deuictis gentibus, rebuſque geſtis nonnunquam titulum aliquem reportaſſe memorantur: Et diuus Paulus, qui antea Saul, vel Saulus dicebatur, Paulus dici à Sergio Paulo proconſule à ſe ad fidem Chriſti conuerſo promeruit.

Idem tamen ipſum nomen, proprium eſſe, & quod eius interpretatio illi excellentiùs conueniat dicit S. Bonauentura, Compendij lib.2.c.20. De Michael, inquit, Gabriel, & Raphael nominibus, ſciendum eſt, quod hæc ſunt propria nomina Archangelorum; licet eorum interpretationes & alijs ſunt communes: ſed eorum propria ſunt, quia his horum nominum interpretationes conueniunt excellentiùs. Michael interpretatur, quis vt Deus &c. Hæc ipſe.

Micheas verò ſynonimum eſt, & idem ſignificat quod MICHAEL ſecundùm lexica Hebræa. Angelorum porro nomina trium dumtaxat in ſcripturis ſacris agnoſcimus, Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis. Vnde & meritò reijcitur Adalberti hæretici egre-

gij impoſtoris epiſtola, quam inuentam in porta Ephraim, & inde tranſmiſſam in montem S. Michaelis Archangeli, & per varias manus acceptam fabulatur, & in ea varia, & multa admodum Angelorum nomina interſerit. Surius fol. 487. Blaſius Viegas in c.12. Apoc. ſect.17. declarat plura Angelorum nomina partim ab Hebræis, partim ex apocryphis libris recenſeri. Vriel enim legitur Eſdræ lib. 4. c. 4. 5. & 10. qui liber canonicus non eſt, ſicuti nec tertius: Item in miſſa Æthiopum, apud Bedam & Sibillas. Ezoniel lib. 4. Eſdræ c. 4. Saniel, & Aziel à Sibilla; Rumiel, & Paniel à Beda, ſe ijs, & alijs commendat his verbis: Gabriel eſto mihi lorica; Michael eſto mihi balteus; Raphael eſto mihi ſcutum; Vriel eſto mihi protector; Rumiel eſto mihi defenſor; Paniel eſto mihi ſanitas. Iſchadiel, Barohiel, Eſcaltiel nominantur in hymno de ſeptem Angelis, quem fecit Antonius Ducas qui floruit tempore Pauli 3. Papæ. Capinon multa alia addit ex arte Cabaliſtarum, qui currum ædificant ex quatuor gemmis atque in dextera parte conſtituunt gemmam, vnde læta omnia proueniunt, quam Michaelem vocant. In ſiniſtra alteram

ram gemmam, vnde triſtia & dura ortum habent, quam appellant Gabrielem; aliaque huiuſmodi, quæ videre licet apud Blaſium Viegam loco præmemorato, vbi & alia Angelorum nomina exprimuntur. Nobis eſt ſermo de nomine Michaelis, de quo & illud præterire hîc non poſſumus, quod in antiquæ ſcripturæ libris, licet de perſona conſtet, tamen non fuerit declaratum: in magnis enim, & arduis maximè rebus, quando dicebatur Angelus Domini, ille velut excellentiſſimus intelligebatur. Primus autem Daniel propheta hoc nomen didicit à Gabriele Archangelo, ſicut habetur Dan. 10. qui ſcilicet eſſet princeps ſynagogæ contra principem Perſarum; & cap. 12. qui conſurgeret in fine mundi pro populo Dei contra beſtiam Michael princeps magnus. Hoc nomen prodidit, & Iudas Apoſtolus in ſua epiſtola canonica, vbi Archangelum appellat; & S. Ioannes Euangeliſta Apoc. 12. quem & eius admodum ſtudioſum fuiſſe, ſupra lib. 3. declaratum eſt. Ioannes Belethus in rationali diuinorum dicit eſſe qui putent, eſſe vnius angeli nomen, & rectè iuxta Bonauenturam ſupra, & communem ſenſum: alios autem

cenſere

cenſere eſſe nomen plurium; & quod quando vnus Angelus mittitur ad aliquid magnum, & mirabile faciendum is Michael nuncupetur. qui quidem rectè in eo ſentiunt quod magnæ, & mirabiles operationes ei tribuantur. Verum cũ is ad eas virtute ſua actuoſiſſima, & expeditiſſima ſit ſufficiens, nulla neceſſitas plures imaginari nos cogit. Vnde & quod Dominicus Banneſius ſcripſit, duos eſſe Michaeles, alterũ in cælo ſemper aſſiſtentem, qui non mittitur; & alterum ad terras miſſum, & Eccleſiæ in terris præfectum, non eſt fundatum, cum & omnes Angelos quandoque in miniſterium mitti, paucis infra ex Apoſtolo oſtenſuri ſimus. Legitur denique & Michael quidam dictus filius Ioſaphat regis in 4. Reg.

CAP.

CAP. II.

De ſcriptoribus eius.

DE eo ſcripſerunt in ſacris quidem libris, ſiue nomine expreſſo ſiue non, Moyſes, & prophetæ, & inter eos expreſsè Daniel vir deſideriorum, vti iam diximus. Paulus quoque Apoſtolus 1. Cor. 10. ſub nomine exterminatoris, & 1. ad Theſſ. 4. ſub nomine Archangeli. S. Petrus, S. Iudas, & S. Ioannes Euangeliſta in ſua Apocal. Sub eodem item exterminatoris, vel exterminantis nomine ante B. Paulum de eo locuti ſunt, Sapiens Sap. 18. in fine, & Iudith libri ſui c. 8. ijs enim omnibus locis non alium, quàm S. Michaelem intelligi, capite ſequenti ex horum occaſione, paucis Deo donante, oſtendemus. Præter ſacros autem & canonicos iſtos authores, ſcriptores alij fuere Pantaleon diaconus, & Chartophylax magnæ Eccleſiæ vir eloquentiſſimus; Metaphraſtes; Sophronius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, cuius ſermo extat tom. 2. in bibliotheca

theca patrum ſecundæ editionis; Drepanus Florus antiquiſſimus poeta, cuius meminit Cæſar Baronius in Martyrologio; Ado Epiſcopus Treuirenſis; Adam de ſancto Victore.

S. Gregorius.

S. Bernardus. D. Laurentius Iuſtinianus.

Ioannes Eckius inſignis theologus.

Cæſar Baronius Cardinalis, quantum operæ, & ingenij collocarit in eruendis plurimis de eo narrationibus, in ſuo Martyrologio ſatis oſtendit. & alij multi.

CAP. III.

Exterminatoris nomine apud B. Paulum. Iudith, & Sapientem Michaelem intelligi.

EXterminatorem nonnulli interpretantur ignem egreſſum à Domino, inquit Eſtius in cap. 10. 1. ad Corint. propterea fortaſſe quod in Numeris legatur multitudinem fuiſſe vaſtatam incendio, iuxta verſionem quidem vulgatam: Verum in Hebræo nulla fit ignis vel incendij mentio, quemadmodum nec in Græco; ſed tantùm plagæ ſeu percuſſionis. Latini interpretes

terpretes ferè intelligunt Angelum percuſſorem; Græci potentiam quandam victricem. quod eòdem recidit: quæ eſt enim vltrix illa potentia, niſi Angelus Dei miniſter, quo & aliàs ſæpe numero legitur vſus ad punienda hominum peccata: velut Gen. 19. 3. Reg. vlt. 4. Reg. 19. Actor. 12. Quod verò Latini quidam exterminatorem exponunt, eum qui percuſſit extra terminos terræ promiſſæ: parum ſcienter ab illis dicitur. nam græca vox ὀλοϑρευτὴς, nullam habet termini ſignificationem, ſed eum ſignificat, qui penitus vaſtat, ac perdit; quem & Cicero Latinè dixit exterminatorem in oratione pro domo ſua.

Porro huius exterminatoris fit etiam mentio Iudith 8. his verbis: Exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt; vt videri poſſit Apoſtolus hæc ſcribens illum locum in mente habuiſſe. Eiuſdem exterminatoris mentio fit Sap. 18. in fine, cùm dicitur: His autem ceſſit, qui exterminabat, & hæc obtinuit. Quæritur autem qualis fuerit hic exterminator Angelus, bonus, an malus, & omnino quis fuerit? Librum ſapientiæ legenti videbitur de numero malorum fuiſſe, eo quòd ſacerdoti

doti pontificalibus ornamentis induto ceſſiſſe dicatur, atque extimuiſſe; imò & victus ab illo fuiſſe: Nam pro eo, quod nos ibi legimus, vicit autem turbas, in multis Græcis habetur: vicit autem exterminantem, ſiue vaſtantem: & mox ſequitur, quod verbo illum qui vexabat, Græcè, vltorem ſubiecit. Verum hæc vt figurato ſermone dicta, non incommodè etiam de bono Angelo poſſunt accipi: Nam & Angelus, qui luctatus fuit cum Iacob, ſuperatus ab illo legitur Gen. 32. & fleuiſſe, ac rogaſſe eum, Oſeæ 12. qui vtique bonus erat, ipſiuſque adeo Dei perſonam repræſentabat, vt propter eum in lucta ſuperatum Iacob dictus ſit Iſrael, id eſt, præualens Deo Gen. ibidem. Quare & hunc bonum Angelum fuiſſe mihi valde probabile eſt: nec verò qualemcumque, ſed illum ipſum qui ductor fuit Iſraelitici populi per deſertum, & Chriſti in carne venturi perſonam prętulit; ideoque Deus, & Chriſtus & Ieſus (magna Archangeli laus) nominatus legitur: Nam de Angelo ductore, quod idem vltor populi iſtius ſcelerum futurus eſſet, teſtatur expreſsè Dominus Exodi 23. Quod autem geſſerit perſonam, & nomen Dei, docet

quod

quod ibidem proximè ſequitur, & eſt nomen meum in illo, videlicet tetragrammaton: hoc enim nomine ſæpe vocatur, & vocat ſeipſum. vt Exodi 3. 13. 14. 20. Deut. vlt. & alibi. Quod Chriſtus appellatus ſit, iam ſupra habuimus ex illis Apoſtoli verbis: Neque tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentauerunt; Quod Ieſus dictus, oſtendunt verba Iudæ Apoſtoli dicentis in epiſtola quod Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans, ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Quibus etiam ex verbis patet ipſum incredulorum exterminatorem fuiſſe. Dicitur autem hæc feciſſe Dominus per Angelum, de quo loquimur, perſonam ipſius gerentem. Hæc Eſtius, ſubiungens etiam ipſum eundem fuiſſe, qui primogenita Ægypti percuſſit, & cuius miniſterio lex data fuit in monte Sina; quique cum Moyſe locutus fuit in deſerto, & eius corpus ſepeliuit; & cum Ioſue in agro vrbis Ierico, & qui populum legis oblitum obiurgauit Iudic. 2. &c. quæ à nobis ſupra fuſiùs poſita ſunt.

CAP. IV.

Quod ſit princeps omnium, quotquot ſunt, Angelorum etiam Seraphinorum.

Diuum, inquit Eſtius, Michaelem eſſe omnium Angelorum ſupremum, etſi non ſit certiſſimum; permagnam tamen habet è ſcriptura ſacra probabilitatem: nam Apoc. 12. ſic legimus: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius; & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Draconem autem intelligi eum, qui ſupremus ſit inter dæmones, manifeſtum eſt: ſequitur enim: Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus qui vocatur diabolus, & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem; & angeli eius cum illo miſſi ſunt. De quo etiam ſimili modo loquitur Dominus Matth. 25. Quare conſequẽs eſt & Michaelẽ inter ſanctos Angelos ſupremum ac principem eſſe: quoniam hi ſimiliter Angeli eius dicuntur. Quod ſi ab horum Angelorum numero

numero eximere velimus ſummæ hierarchiæ ordines; abſurdum ſanè videbitur inferiores ordines cum Dracone, & Angelis eius pugnare pro gloria Dei: ſupremos autem glorioſiſſimæ pugnæ ſimul ac victoriæ expertes eſſe. Huc accedit, quod in epiſtola Iudæ, diabolo, qui dæmonum ſupremus eſt, Michael Archangelus tanquam Angelorum omnium princeps opponitur, & cum eo altercari dicitur: Non enim Archangelus dictus eſt, velut ex Archangelorum ordine, ſed quia ſupra omnes omnium ordinum Angelos principatum habet. Quod expreſſius ſignificare voluit Dydimus ſcribens in eam epiſt. cum Michaelem vocat maximum Angelorum. Pro eadem ſententia facit, quod Danielis 10. Michael dicitur princeps populi Dei; & c. 12. vocatur princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi Iſraelitici. Rectè enim & conuenienter ſupremo Angelo committitur cuſtodia & principatus eius populi, qui à Domino præ cęteris electus eſt: qualis quidem tunc erat populus Iſraeliticus; nunc autem Eccleſia Chriſti: cui proinde eundem nunc præpoſitum eſſe pluſquam probabiliter creditur. Hinc etiam omnium Angelorum

beatos; neque quoad gratuita in creatione accepta: Conſtat enim horum donorum reſpectu non poſſe poni aliquod meritum in primo Angelo, vt nec in alijs: ſed quoad gratuita accepta, vel aucta in confirmatione proportionaliter iuxta meritum maius, vel minus eiuſdem perſeuerantiæ, Hactenus ex Eſtio. Et ſanè ijs, quæ dicta ſunt, conformis omnino eſt mos ſcripturæ ſacræ, & ipſa hiſtoria, vt non modò militiæ ducatus ſummo alicui principi tribuatur, ſed & illi victoria aſcribatur: atqui nullus alius memoratur, quam D. Michael; & dato quod aliquis alius illo eſſet ſuperior, & in agendo maior, dubio procul illi fieret non leuis iniuria; nempe quod ipſe ſub ſilentio premeretur, ac præteriretur, eiuſque neque in templis, neque in diuinis officijs memoria fieret, & inferiori omnis honor ei debitus aſcriberetur. Vnde & promiſcuè Græci ſcriptores etiam hiſtorici eum Archiducem cœleſtium agminum appellant: vt Nicetas Chomates, & author vitæ S. Danielis Stilitis, qui principem cœleſtis militiæ eum vocat: Et Luitprandus in hiſtoria, ſummum, & cœleſtis militiæ principem Archangelum Michaelem nuncupat. Et

inde eſt (vt Pantaleonem, & alios prætercam) quod præ cæteris Angelis in Eccleſia colitur, ac templa vbique terrarum, imo verò loca innumera, caſtra, montes, oppida, flumina, portus, promontoria, plateæ, portæ vrbium, ſacraria, & alia eius generis, eius nomini inſcribuntur. Item quod ſub eius nomine omnium pariter Angelorum feſtiuitas celebratur, ſecundum D. Bern. in qua proinde feſtiuitate cum primas Angelorum nuncupatur, comparationem fieri ad omnes omnino Angelos res ipſa ſatis oſtendit. Idem ſentit cum his inter nouiſſimos & Matthęus Feliſius in ſuis inſtitutionibus Chriſtianis, & is author quem ipſe in ſcribendo ſecutus memoratur. Denique ipſa teſtatur Eccleſia id, quod dicimus, dum his verbis orat: Deus, cuius fulgore claritatis beatus Michael pręcellit agmina Angelorum, & cuius dono principatum meruit poſſidere cœleſtem. Item in hymno feſti eius, qui D. Ambroſij dicitur: Sed præcipuè primatem cœleſtis exercitus Michaelem in virtute conterentem Zabulon; & apertiùs in proſa. Te namque profitemur ſupernorum principem ciuium; principalis eſt poteſtas à Dominó tibi data, peccan-

te

tes ſaluare animas; item: tenes perpetui principatum paradiſi; & in antiphona: Michael præpoſitus paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues.

Addi poſſunt, D. Baſilius in homilia de Angelis. D. Laurentius Iuſtinianus in ſermone de S. Michaele; Pantaleon diaconus, & Carthophylax magnæ Eccleſiæ. Catharinus in epiſtolam ad Heb. Blaſius Viegas in c. 12. Apoc. Tibi ô Michael, inquit D. Blaſius, duci ſuperiorum ſpirituum, qui dignitate, & honoribus prælatus es cæteris omnibus ſpiritibus ſupernis: tibi, inquam, ſupplico &c. Et D. Laurentius Iuſtinianus; Sanctis, inquit ſpiritibus prælatus eſt Michael, ſicut Lucifer malis: primum locum obtinet, ait Pantaleon, inter mille millia, & decies mille myriades angelicorum ordinum, & proximè, & citra vllum ſuperiorem &c. Hinc & Eccleſia immediatè poſt D. Virginem in litanijs eum inuocat, & Dei ſigniferum vocat, crediturque iure merito Chriſto cum omnibus Sanctis, & Angelis ad extremum iudicium deſcendente ſignum eius, de quo Matth. 24. id eſt, crucem, tanquam ſummi Regis & Imperatoris vexillum geſtaturus. id quod ad maio-

rem Dei gloriam in illo orbis theatro, non niſi Angelorum principi committendum videtur. Poſſent & alia huiuſmodi non contemnenda ad eam rem produci argumenta, ſed ſparſim ex ijs quæ ſuis locis dicta ſunt, & poſt dicentur, facilè colligi poſſunt.

CAP. V.

Vnde aliqui diuerſum opinati ſint.

VErum, inquit Eſtius in diſtinct. 10. 2. ſenten. diuerſam à ſuperiori ſententiam tenent quidam Dionyſij authoritate moti, qui lib. cœleſtis Hierarchiæ c. 9. Michaelem ex ſupremo ordine infimæ Hierarchiæ, qui principatus nominatur, fuiſſe tradit: ſentit enim ex ordine principatuum eſſe eos, qui gentibus, regnis, & prouincijs ſunt præpoſiti: Michaelem autem Hebraico populo præpoſitum fuiſſe, ſatis ex Daniele conſtat; tametſi Hieron. ſcribens ſuper Habacuc 3. ambigere videtur vtrum Gabrieli, an Michaeli commiſſus fuerit populus Iudæorum: fortè propter

pter illud, quod Dan. 10. Michael Gabrieli coniungitur, & adiutor adhibetur in procuranda liberatione populi Iudaici: ſed vtique coniunctus intelligitur tanquam maior, & potentior, & proinde in eo genere princeps.

S. Thomas 1. p. q. 113. dubitat vtrum Michaelem aſcribat ordini Archangelorum, an Principatuum, eo quod cuſtodiam humanæ multitudinis alterutri ordini tribuendum putet. Horum ſententiæ ferè accedunt, quicunque ſupremæ Hierarchiæ Angelos negant aliquando mitti: Nam Michaelem aliquando miſſum fuiſſe, ex Dan. manifeſtum eſt. Similis dubitatio eſt de Gabriele, quem alij quidem ex ſupremis fuiſſe exiſtimant; alij verò (quia miſſum eum fuiſſe in confeſſo eſt) infimæ Hierarchiæ vel inter Principatus, vel inter Archangelos aſcribunt. Quod facit Athanaſius, vel quiſquis author ſermonis de Aſſumptione B. Mariæ. Gregorius quoque in hom. 34. ſuper Euang. & Bernard. lib. 5. de conſideratione c. 4. Gabrielem collocant in ordine Archangelorum, quorum officium eſt, magna nunciare. Cum his ſentit S. Tho. 3. p. q. 30. art. 2. ad 4. addens ſatis

credibile eſſe, quod Gabriel in ordine Archangelorum ſit ſupremus. Vnde collige Michaelem ex eiuſdem S. Tho. ſententia potius aſcribendum eſſe ordini principatuum quàm Archāgelorum (ac per conſequens eum ab iſto ordine non dici Archangelum, ſed ob ſuam inter alios excellentiam.) Nam alioqui inferior eſſet Gabriele, vtpote inter Archangelos omnium primo Quod ſanctus Thomas nequaquam ſenſit, vt clariùs etiam indicauit in 2. ſent. diſt. 10. De ſancto Raphaele minùs laborandum videtur. Cum enim vnius hominis cuſtos fuiſſe legatur, nihil vetat eum infimo ordini, qui Angelorum eſt, aſcribi. Nec obſtat quod Raphael ſe dicit vnum eſſe è ſeptem qui aſtant ante dominum: quia ſeptenario hoc numero vniuerſitas Angelorum rectè ſignificata intelligitur. aut probabiliùs reſpondet Ribera in Apoc. c. 1. v. 4.

Neque obſtat, quòd Dan. c. 10. S. Michael dicitur eorum, qui negant D. Michaelem eſſe omnium ſupremum, vnus de principibus primis, quaſi non ipſe cæterorum omnium princeps fuerit, ſed vnus quiſpiam de Numero. Reſpondetur enim hoc Dan. teſtimonio noſtram ſententiam magis confirmari: ſenſus enim eſt Michae-

lem fuiſſe primum, & ſummum inter primos principes; quomodo Geneſis 1. ſcriptum eſt, factus eſt dies vnus, id eſt, primus: quomodo Luc. 24. & 1. Cor. 16. legitur anno vno regni Darij, id eſt, primo: hoc enim præceſſerat in eadem periodo, eſtque ea phraſis ſcripturæ ſatis familiaris; quomodo & galli horam primam, gallicè vnam dicunt, & alia huiuſmodi.

Iam verò nec illud obſtat, quod penultimus ordo, qui eſt Archangelorum, videatur colligi ex nomine Archangeli attributo Michaeli apud Iudam Apoſtolum: Nam alioqui non erit locus ſcripturæ, vnde colligatur. Reſpondetur enim non inde colligi, ſed magis ex eo quod quidam Angeli dicuntur cuſtodire regna, & populos apud Danielem cap. 10. Et inter eos quidem numeratur Michael, vt cuſtos, & princeps populi Dei; quod S. Dionyſij, & S. Tho. eſt argumentum, ſed reſpondetur ex ſingulari priuilegio populo Dei conceſſum eſſe hoc beneficium præ cæteris gentibus, vt principem Angelorum habeat pro ſuo principe, & cuſtode, eo quòd Angelorum, & hominum electorum tandem vna ſit futura beata ſocietas, & vnum regnum. Neque enim

fecit

fecit taliter omni nationi ſicut fecit populo ſuo, vt mittat ſupremũ Angelum ſuum ad eius cuſtodiam, & gubernationem.

Ad argumentum autem ex miſſione eius deſumptum, quaſi ſcilicet ſupremi nunquam mittantur. Reſpondebitur infra cap. 9.

CAP. VI.

De principatu eius in terris.

DE principatu S. Michaelis Archangeli in cælo, iam dictum: ſequuntur plures aliæ eius prærogatiuæ, & præeminentiæ: & primùm quod in terris olim princeps fuerit ſynagogæ, & nunc princeps ſit Eccleſiæ Chriſti, vt iam aliquoties præmiſſum eſt. Neque dubium eſt, quin ab Hebræis pro ſynagogæ principe ſit habitus. Idq́ue probatur quoque ex c. 10. Dan. Vbi Gabriel Archangelus tanquam eius rei teſtis ſic loquitur. Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his niſi Michael princeps veſter (veſter, id eſt, Iudæorum.) Item ex c.12. eiuſdem: In illo tempore con-

conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, id eſt, qui tanquam promptiſſimus, ac paratiſſimus princeps ſtat prò liberatione populi tui, cauſam eius agens, & promouens. Hanc enim emphraſim habet verbum ſtandi ſicut etiam annotari ſolet ad c. 7. Actor. vbi Stephanus Protomartyr in ſuis tormentis vidit Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, cuius tamen perſonam mulieribus poſt reſurrectionem Angelus ſedens repræſentauerat. Ideoque & c.8. eiuſdem Danielis idem vt curam ingentem populi Iudaici gerens, & terribilem illam perſecutionem, quæ ſub Antiocho Epiphane, ad breue licet tempus, ventura erat, notam eſſe volens, & præuiſam; Gabriel, inquit, fac intelligere illam viſionem. Concordat Dionyſius Areopagita cœleſtis Hierarchiæ c. 9. & Bonauentura compendij lib. 2. c. 20. vbi diuo Michaeli quatuor tribui recenſet; nempe eſſe præpoſitum paradiſi, id eſt, inquit, Eccleſiæ, ſicut & olim fuit princeps ſynagogæ. Item deferre animas in paradiſum, ſed hoc intelligas, quòd glorioſiùs deferat, quàm alij. Item pugnare cum Dracone, id eſt diabolo, ſicut legitur in Apoc. Item venire in adiuto-

adiutorium populo Dei: Hæc ille. Accedit & ratio: conueniens enim erat, vt ſupremo Angelo eius populi cuſtodia, & principatus committeretur, qui à Deo ex genere fidelis ſui Abrahæ præ cæteris electus, & ſegregatus eſſet. Quam rem comprobant infinitæ eius actiones & apparitiones, quæ à patribus in lege veteri illi attribuuntur.

Quamuis autem Gregorius Papa ſenſerit illum principẽ fuiſſe Iudæorum, qui in Palęſtina remanſerant; non autem eorum, qui in Babyloniam erant adducti: Attamen & eorum curam geſſiſſe pro illo exiguo tempore, ſi omnes ſynagogæ ętates ſpectemus, facilè ex ijs, quæ dicta ſunt, & ex Zachariæ c. 1. oſtendi poteſt, eſtq́ue ea communiter recepta ſententia. Quod autem nunc ipſius Eccleſiæ, quę ex fidelibus ſynagogæ nata eſt, ſit princeps, & cuſtos peruigil vel inde probatur, quod ſynagoga fuerit Eccleſiæ figura, ideoq́ue, ſi illi pręfuit, multò magis ipſi Eccleſiæ, in qua res ipſa & veritas exiſtit, præſidere dicendus eſt. Quam ad rem apertè facit locus Dan. c. 12. & Apoc. c. 12. Nam idcirco conſurget Michael in fine ſæculi pro defenſione electorum, & Antichriſtum interficiet, & prælia-

bitur

bitur cum dracone. Vnde & in Eccleſia poſt D. Virginem in litanijs ante ſanctos alios inuocatur, & ſacerdos initio miſſæ cum aſſiſtentibus illi nominatim poſt D. Virginem actus ſuos & peccata confitetur; ac in officio feſti eius Eccleſia canit in hymno: Quo cuſtode procul pelle rex Chriſte pijſſime omne nefas inimici, mundo corde, & corpore paradiſo redde tuo nos ſola clementia. Item; Princeps glorioſiſſime Michael Archangele, eſto memor noſtri hîc, & vbique ſemper precare pro nobis filium Dei. Et in feſto apparitionis eius legitur. Eum vt olim ſynagoga Iudæorum, ſic & nunc Eccleſiæ cuſtodem, & patronum Dei veneratur Eccleſia. Et apparitiones eius, & opitulationes propè innumeræ, de quibus libris pręcedentibus actum eſt, ad plenum demonſtrant. Quamuis enim quilibet homo habeat particularem Angelum ſibi à natiuitate deputatum, vt ait B. Hieronymus in c. 18. Matth. non ideo tamen ciuitatibus, regnis, & prouincijs intęgris certos Angelos præſidere negandum eſt. vt ex ſcriptura ſacra, Ioſue 5. Eccli. 17. Dan. 10. & aliunde notum euadit.

CAP. VII.

De honore eius & cultu poſt Deum & B. Virginem.

Conſequens eſt, quod præ omnibus alijs ſanctis (diuam Virginem excipio tanquam indiuiduæ Trinitatis tabernaculum, & ſacrarium) in cælo, ac in terris honoretur, & colatur. Vix enim numero comprehendi poteſt, quot regionibus, vrbibus, montibus, promontorijs, portibus, turribus, portis, ędificijs, fluminibus, pontibus, fontibus, & locis, imo & moneris eius nomine inſcriptis, ac templis vbique honoretur. Addo & Confraternijs, & equeſtri ordine principum regni Galliæ Chriſtianiſſimi. In Brabantia antiquiſſimæ ciuitates templa illi antiquitus erexerunt. Et in obſidione diuturna apud Oſtendam anno 1601. cœptam, vbi nihil fuit omiſſum quod humano ingenio fieri potuit, Sereniſſimus Archidux Albertus Auſtriacus pro ſua pietate, & fiducia propugnaculum vnumquodque diui Michaelis patrocinio erectum,

erectum,& expoſitum eſſe voluit. Bruxella vrbs Brabantiæ primaria cum Principibus ſuis eum pro patrono colit. Neque inter cętera plurima prętereundum quod de Mechliniæ initijs & nomine Abrahamus Ortelius in ſuo itinerario annotatum reliquit, quondam in eo loco nihil fuiſſe præter ædes illius veteris ſtructuræ iuxta diui Romboldi Sacellulum: ad quas, medio ſcilicet inter Bruxellam & Antuerpiam itinere, peregrinantes diuertere ſolebant. His ædibus pro inſigni erat imago D. Michaelis Archãgeli, vnde Machelen aut Mechelen, detorto nempe paulatim vocabulo. Niuella quoque ita pro patrono eum venerātur, vt die eius feſto ſollemnitatem maximam cum proceſſione & delatura reliquiarum S. Gertrudis aliarumque circum vrbem quotannis celebrare perſeuerent. Qui de eius laudibus, & præconijs ſcripſere, c. 2. annotauimus. De eius feſtiuitatibus, victorijs, triumphis, miraculis, ac peculiari in diuinis officio, ſuperiùs actum eſt. De imaginibus, & picturis infra dicetur. Vnde colligi facilè poteſt, quanta eius ſit celebritas, & honoris excellentia, quam quidem merito ſuæ perſeuerantiæ, & ob
zelum

zelum ardentem gloriæ Dei diuina largitate conſecutus eſt. Lucifero enim cum ſuis fortiter reſtitit; Creatorem ſuum tanquam altiſſimum, nulli parem, nulli ſimilem agnouit, Confeſſus eſt, & adorant; ideoque & nomen, & principatum promeruit, in æternum exultabundus, & in gloria perpetua futurus; ille autem & quod habebat, amiſit, & cum reprobis conſortium quærens in baratrum infælicitatis & æternæ miſeriæ demerſus eſt.

Quin immo, & Chriſtus ipſe Dominus, cùm formam ac diſpoſitionem Eccleſiæ monaſterij Vatzſtenenſis diuæ Brigittæ per reuelationem oſtenderet, inter alia ordinaſſe legitur, vt in ea, & conſequenter in alijs omnibus iſtius ordinis Eccleſijs eſſet altare S. Michaelis, eiuſque locum ac ſitum deſignaſſe his verbis: In medio verò parietis ad meridiem infra ambitum ferreum ſit altare S. Michaelis; ita quod ſacerdos vertat ſe ad auſtrum &c. c. 28. reuelationum extrauagantium B. Brigittæ.

CAP.

CAP. VIII.

Miſſionem eius & præſidentiam in terris cum cœleſti principatu non pugnare.

PLerique non obſtante B. Pauli authoritate ad Hebr. 1. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, negant ſuperiores Angelos aliquando mitti in miniſterium & conſequenter D. Michaelem, quem ſæpe miſſum & mittendum conſtat, eſſe inter Angelos ſupremum. Negant autem, inquit Eſtius in eum Apoſtoli locum; partim authoritate Dionyſij, & Gregorij permoti: partim inducti ratione, quæ ſumitur ab ordine naturæ, & gratiæ, quem, vt aiunt, Angelorum reſpublica conſtantiſſimè, & inuariabiliter retinet. Iuxta quem ordinem, de ijs, quæ foris agenda ſunt, inferiores à ſuperioribus ſemper illuminantur; vt proinde ſuperiores nunquam per ſe extra prodeant, ſed tantùm per inferiores Angelos, velut ſubiecta miniſteria, Dei iuſſiones exe-

quantur. Adducunt autem è diuerſo teſtimonium ſcripturæ, quo probent non omnes Angelos miniſtrare, ſed multò plures eſſe, qui Deo ſemper aſſiſtant. Dicit enim Daniel c. 2. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Ad hunc verò Pauli locum varias adhibent reſponſiones. Vna eſt, omnes Angelos quidem mitti, ſed alios exteriori miſſione, alios interiori tantùm; quà nimirum ad hoc ordinentur, vt accepta à Deo mandata per viam illuminationis ad eos tranſmittant, à quibus ſunt exequenda: hunc autem miſſionis modum competere ſuperioribus Angelis. Verùm id propriè non eſt mitti in miniſterium; niſi quis contendat omnem eum in miniſterium mitti, cuicunque aliquid ſeu domi, ſeu foris, agendum iniungitur, etiamſi loco ſe non moueat. Quod non habet vſus loquendi. Nec ſanè quis dixerit regem miſiſſe ſcribam ſuum ad Indos, ſed tabellarium, ſi per ſcribam tabellario det mandata ad Indos perferenda. Nec filius Dei miſſus ad nos verè diceretur, ſi non ipſe per ſe opus, ad quod miſſus eſt, obiuiſſet. Adde quod Græca non ſimpliciter ſonant Angelos in

mini-

miniſterium mitti, ſed emitti, ſiue emandari, quomodo verterunt alij interpretes, id eſt, foras mitti. à qua voce, & Apoſtoli dicti ſunt. Ex his etiam refellitur Caietani reſponſio dicentis angelos inferiores immediatè mitti; ſuperiores mediatè. Vocat autem mediatam miſſionem, qua non per ſeipſos, ſed per alios à ſe illuminatos, &, vt ait, ſubdelegatos, ad nos mittuntur. Refellitur, inquam, quia iam patet miſſionis proprietatem (maximè vt Græco verbo ſignificatur)eo pacto non ſubſiſtere. Quanquam ea Caietani reſponſio magis ſit ex mente aliorum, cùm ipſe quid de quæſtione ſentiat, non ſignificet. Alij quidam reſpondent Apoſtolum non loqui de omnibus omnino Angelis;ſed tantum de omnibus certi generis; ijs ſcilicet, quorum miniſterio lex data fuerat: Id enim eum agere vt nouam legem veteri anteponendam demonſtret eo argumento,quia Chriſtus author nouæ legis præſtantior eſt Angelis, per quos lex vetus data eſt. Sed hæc reſponſio recipi nullo modo poteſt, primùm, quia Paulus quoties Chriſtum confert cum angelis, cum toto genere conferre ſolet. Loca manifeſta ſunt Eph. 1. & Coloſ.

Ioſ. 1. Et quid magnũ erat oſtẽdiſſe Chriſtũ inferioribus angelis eſſe maiorem, quando & alij ſancti homines diuerſis Angelorum ordinibus inſerẽdi ſunt, & per hoc quibuſdam Angelis futuri maiores. Deinde perabſurdum eſt exiſtimare quod ſupradicta ſcripturæ teſtimonia tantum eò adduxerit Apoſtolus, vt Angelis, quos infimorum ordinum eſſe cenſent, Chriſtum probet maiorem, cum ſine controuerſia veritatem habeant vniuerſalem. Prorſus enim ad omnes pertinent illa: Adorent eum omnes Angeli Dei. Et, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Et, cui Angelorum dixit aliquando, filius meus es tu &c. Velle autem Apoſtolum docere hoc cap. Chriſti excellentiam ſuper omnes omnino Angelos, monſtrant illa verba, quæ præmiſerat: Tantò melior Angelis effectus quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Hinc verò palam ſequitur etiam illis eſſe maiorem, per quos lex data eſt, ſiue fuerint ex inferioribus, ſiue (quod ſcripturæ, & ſenſui Eccleſiæ magis conſentaneum eſt, ex ſuperioribus. Fateamur ergo quod Apoſtoli verba diſertè ſonant, omnes angelos emitti ad miniſteria,

ria, & conſequenter Michaelem omnium eſſe ſupremum ex miſſionibus eius, vel in terris præſidentia, non negemus. Neque enim tali vteretur interrogatione, Nonne omnes &c. nulla deinceps addita probatione; niſi ſignificaret eam eſſe velut notionem fidelium animis impreſſam, omnes Angelos in miniſteria mitti.

Aliud argumentum eſſe poteſt, ex Matth. 25. vbi omnes Angeli dicuntur venturi cum filio hominis ad iudicium; videlicet obſequij cauſa. Vnde & Eccleſia canit: Ecce dominus veniet, & omnes ſancti eius cum eo. Sicut & credibile eſt Chriſto in cælum aſcendenti omnes Angelos honoris cauſa occurriſſe, atque obſequium exhibuiſſe.

Secundò, ex ratione congruentiæ quam adfert D. Bernardus ſerm. 1. de S. Michaele. Omnes enim, inquit, ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi: Neque id cuiquam incredibile videatur quandoquidem ipſe quoque creator, & rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.

Tertiò ex ipſo nomine Angelorum. Cum enim omnes dicantur Angeli, id eſt, nuncij, conſequens videtur, vt omnes hoc officij nomen aliquandò reipſa, id eſt, nun-

ciando, & miniſtrando impleant. Nam quod peculiari nomine Angeli dicuntur, qui ſunt infimi ordinis, non inde eſt, quod ij ſoli mittantur in miniſterium; ſed quia cum nihil habeant ſingulare, quo cæteros excellant, commune omnibus nomen illis quodammodo appropriatur.

Accedunt authoritates patrum. Bernardi modò citati: Auguſtini ſcribentis in Pſ. 56. Chryſoſtomi, & Theophylacti, qui ambo illud Matth. 18. Angeli eorum in cælis &c. dictum interpretantur de primarijs quibuſdam ac ſuperiorum ordinum Angelis tanquam Deo proximis, & ſingulari apud Deum priuilegio honoratis. Vnde & commentatores in Hebr. 1. maximè Græci, Chryſoſt. Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, nullam in ea ſentẽtia faciunt exceptionem.

Ad authoritatem verò Dionyſij, quamuis ea magna ſit, dicimus præferendum eſſe communem Eccleſiæ ſenſum, ſacris etiam ſcripturis congruentem, atque in ijs fundatum. Nam præter id, quod de Michaele Archangelo dictum eſt, alios etiam aliquos ex Cherubin, & Seraphin, qui ſupremi ſunt ordines, aliquando miſſos fuiſſe,

nos

nos docent ſcripturæ Gen. 3. & Iſ. 6. quo quidem poſteriore loco Angelum vocari Seraph, quia ex ſupremo erat ordine, non autem ideo ſolum, quod calculo ignito mitteretur purgare labia prophetæ; inde facilè oſtenditur, quod non aliter ibi accipiatur Seraphim poſteriori loco, quam priori, vbi dictus eſt Seraphim clamaſſe alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Si enim nec priori iſto loco velis ſupremum ordinem intelligi; fatendum erit vocabulum, Seraphim, nuſquam in ſcriptura certum aliquem ordinem Angelicum deſignare, cum alibi in ſcriptura non reperiatur. Hoc autem eſt contra ipſum Dionyſium, qui omnium ordinum nomina ex ſcriptura colligit; & contra Eccleſiam, quæ in præfatione canonis Miſſæ, & in Hymno, Te Deum, nominans hunc ordinem ad Iſaiæ locum reſpicit; vtpote ſtatim ſubiungens ipſum triſagium. Quod verò dicunt Dionyſium ea, quæ de Angelorum hierarchijs, & miniſterijs ſcribit, à Paulo magiſtro ſuo accepiſſe, non ita eſt, ſi de omnibus intelligatur. Neque enim Dionyſius id affirmat: & in eo opere ita ſæpe loquitur, vt non certa, ſed quæ probabilia putet, ſigni-

ficet ſe ſcribere. Quin & Gregorius, qui Dionyſij ſententiam ſecutus creditur, homil. 34. in Euang. tandem concludit, ac profitetur ſe de his nihil affirmare velle, quod apertis teſtimonijs approbare nequeat. Argumentum quoque ex conſtantia ordinis inter Angelum deſumptum minimè conuincit, quia tam ordo naturæ quam gratiæ in Angelis ſeruire debet regno Chriſti, qui cum à patre miſſus per ſeipſum ad hæc infima deſcenderit, non vtique debet indignum, aut inordinatum videri, vt etiam ait D. Bern. ſerm. 1. in feſto S. Michaelis, ſi etiam Angelis quantumuis naturæ, aut gratiæ dignitate præcellentes ad externa miniſteria à Deo miſſi, per ſeipſos, ea expleant. Ad locum ſcripturæ de miniſtrantibus, & aſſiſtentibus reſpondetur eoſdem ſignificari vtroque nomine. Quod tum ex alijs ſcripturis, quæ inter ea duo non diſtinguit; tum verò præcipuè probatur ex oratione Eccleſiæ in qua de Angelis precatur: *Vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur.* Hæc Eſtius in dictum caput ad Heb. & in ſecundum diſtinct. 1. §. 4.

Scriptu-

Scripturam autem inter aſſiſtentes, & miniſtrantes Angelos non diſtinguere, probari poteſt ex ipſomet Daniele, qui eodem capite ſcribit ſe acceſſiſſe ad vnum de aſſiſtentibus, & ab eo ſe edoctum interpretationem ſermonum: atqui docere hominem miniſterium eſt externum, & miſſionem requirit. Idem oſtenditur ex ipſorum Angelorum teſtimonio: Nam Gabriel Lucæ 1. & Raphael Tob. 12. miſſi in miniſterium; nihilominus aſtare ſe dixerunt ante Dominum. Alibi verò, vt Apoc. 7. & 3. Reg. vltimo, omnes omnino Angeli ſtare, ſiue aſſiſtere coram Domino dicuntur: Et ipſe Chriſtus Dominus Matthæi 18. (vnde prædicta Eccleſiæ oratio deſumpta videtur) de Angelis cuſtodibus dixit: Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei. Sicut enim dæmones vbique gehennam ſuam circumferunt, ita Angeli vbicunque ſint, ſemper diuina viſione in cælo perfruuntur; & aſſiſtentes quidem dicuntur, vt ſemper parati ad exequenda Dei iuſſa, miniſtrantes autem vt eadem opere exequuntur.

Sed cum hæc ita ſint; non omnino tamen D. Michaelis pro primatu cauſa hac in

parte

parte expedita, vel contra poſitum ex miſſione eius argumentum, defenſa videtur. Qui enim Apoſtoli ſententiam vniuerſaliter planè intelligunt: Seraphicos tamen, & ſuperiores Angelos, non ordinariè, vel frequenter; ſed rariùs, & ad grauiſſima ſolum mitti concedunt. At D. Michaelem frequenter mitti, ex geſtorum eius decurſu ſatis apparet, nec negandum videtur. Verùm reſponſio breuiter ex eo haberi poteſt, quod S. Michael Eccleſiæ ſit princeps, cuſtos, & director, Ad quam proinde eum ſæpius miſſum eſſe, ac etiamnum mitti, & mittendum ſpecialis ratio, quæ in alijs locum non habet, ex officij eius conditione requirit. Adeoque non inde ad ordines inferiores reuocandus, ſed pro gratitudinis noſtræ officio ſupra omnes potiùs iuxta ſcripturæ ſacræ exigentiam exaltandus.

CAP.

CAP. IX.

De miſſione eius ad magna & ardua.

ATteſtatur id Ioannes Eckius homilia in feſto S. Michaelis: Quidquid, & vbicunque, inquiens, opus fuit, vt pro fidelibus decertaretur, ibi ſemper Michael Archangelus adfuit & id perfecit: vti cõtra Luciferũ in cælo; pro exitu filiorũ Iſrael de Ægypto: pro ſepultura corporis Moyſi; pro fidelibus contra Antichriſtum in fine ſæculi. Itaque pugnat, & ſæpius quàm ſciamus, & fortius, inquit, quam oremus. Certum eſt, ait, Ioannes Belethus, Michaelem fuiſſe, qui celebres illas, ac famoſas plagas miſſus in Ægyptum fecit, & mare rubrum diuiſit. Gregorius Papa in ſermone feſti eiuſdem: Et quoties, ait, miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur; vt ex ipſo actu, & nomine detur intelligi, quia nullus poteſt facere, quæ facere præualet Deus. Vnde & ille antiquus hoſtis, qui ſimilis eſſe Deo per ſuperbiam concupiuit, dicens in cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exalta-

exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo: dum in fine mundi in ſua virtute relinquitur extremo ſupplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus eſſe perhibetur; ſicut per Ioannem dicitur, factum eſt prælium cum Michaele Archangelo.

Contra blaſphemantes, & in Deum, Deique tremendam maieſtatem contumelioſos, eique vel detrahentes, vel eam ſibi affectantes; Mira eſt Archangeli Michaelis viuacitas, & vis vt eos conterat, & conuenienter nomini ſuo honorem omnem, & gloriam ſoli, & vni Deo debitam eſſe conuincat. Id quod ingentium aliquando caſtrorum, ac perſonarum punitione, & multis alijs actis, quæ in ſuperioribus libris deduximus, clarè demonſtrauit.

Eſt & Angelus pacis: hoc enim canit Eccleſia: Angelum pacis Michael ad iſtam cælitus mitti rogitamus aulam, nobis vt crebrò veniente creſcant proſpera cuncta. Eſt igitur regibus, & principibus ſingulariter inuocandus, cum & ipſe ſit dux exercituum cœleſtis militiæ. Cumque ingenti zelo, & ardore Seraphico ferueat, viuaciſſimus

Digitized by Google

ſimus contra veræ fidei aduerſarios Eccleſiæ propugnator. Idem eſt Zelatorum Confeſſorum, & Martyrum princeps & anteſignanus, quibus nimirum patientiæ ſcutum, & alia fidei, & conſtantiæ arma ſubminiſtrat. Et cum ſit vniuerſalis Eccleſiæ moderator, & princeps, eius authoritas circa regimen ipſius, & maximi momenti negotia; vti propagationem fidei, morum reformationem; hæreſeon extirpationem; vniuerſales ſynodos & alias; nouorum ordinum & congregationum erectionem; prælatorum directionē; Eccleſiæq́; ipſius vbiq; gētiū contra omnia Satanæ tela nequiſſima gubernationem, ac tutelā agnoſcenda eſt. Quas ad res omnes non mirum, ſi alios omnes angelos naturæ nobilitate, cæteriſque ſcientiæ, & gratiæ ornamentis, quæ cum naturali eorum prę́ſtantia coniuncta ſunt, longè antecellat. Eſtq́ue in agendo expeditiſſimus, peritiſſimus, perfectiſſimus, & optimus. Vnde Pantaleon: Michael, inquit, qui verſatur in cælis, & Ætherem obit tanquam pernix fulgur & vniuerſam, quæ eſt ſub cælo, terram vno momento peruadit, pioſque qui affliguntur, adit, recreat, & conſolatur.

Alia

Digitized by Google

Alia quędam, vt quę Gabrieli Archangelo illi coniunctiſſimo mandata ſingulariter fuerunt: & Raphaeli; ijs attribuenda ſunt, quatenus ab eo illuminati, & iuſſi fuerunt. Quam ad rem facit, quod Albertus Magnus tres illos Angelos, quos Abraham vidit, & vnum adorauit. Gen. 18. intelligit fuiſſe Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem: Michaelem vt principem populi ex Abraham deſcenſuri: Gabrielem, vt miſſum ad deſtructionem ciuitatum, de qua Gen. 19. Raphaelem, vt circumciſionis in populo iſto ſuſcipiendæ futurum medicum. & ibi quidem trinitas, & vnitas diuinarum perſonarum demonſtrata eſt, ſed Dei tamen perſonam, quem ibi Abraham adorauit, Specialiter gerebat & poſtea geſſit Sanctus Michael. vide ſupra c. 9.

CAP.

CAP. X.

Vt animas in morte ſuſcipiat, earumque merita, vel demerita ponderet.

EST & ea inſignis prærogatiua, & poteſtas, quod animas in cuiuſlibet morte ſuſcipiat, eaſque iudicet, iudicio ſaltem particulari, & earum merita, vel demerita ponderet. Vnde & cum libra pingitur, & Eccleſia canit: Archangele Michael conſtitui te principem ſuper animas ſuſcipiendas. Et: Non cadant in obſcurum, ſed ſignifer S. Michael repræſentet eas in lucem ſanctam. Et verò etiam Iudæi hodie in officio lugentium orant his verbis: Angeli pacis egredimini in occurſum ipſius; portas paradiſi voluptatis reſerate illi, atque pacem aduentui eius denunciate. Ita & Lazarus ab Angelis fuit deportatus in ſinum Abrahæ. Angeli, inquit S. Antoninus 3. p. tit. 31. c. 6. deducunt poſt mortem animas, ſed ſi anima cum gratia habet aliquid purgandum, angelus eam aſſociat ad purgatorium, & confortat ad patientiam, &

cum

Digitized by Google

cum congruit, orat pro ea. Et talis (idem) deſignatur per Angelum portantem Abacuc cum prandio in lacum leonum. Defunctis enim ſuffragia viuentium ſunt quaſi prandium maceratos ibi confortando. Et ante capite 5. Angeli, inquit, ſe animabus in morte etiam coniungentes ad ciuitatem ſupernæ patriæ eas deferunt prout dicitur de Lazaro Luc. 15. ad gaudium paradiſi deſiderandum; in articulo mortis, earum affectus prouocant, & accendunt; ita quod poſtpoſito naturali affectu, quem habent ad corpus, libenter exeant; ſicut legitur de quibuſdam ſanctis, Dominico, Franciſco, & alijs. Tum etiam dæmones arcent, ne impediant exeuntes, videlicet tentationibus eas deuincendo: ſicut enim dæmones durius infeſtant ad decipiendum animas, ita & Angeli efficacius iuuant. Vnde, inquit, in libro de Similit. narrat Anſelmus de quodam monacho ſui monaſterij, quod poſt mortem apparens cuidam dixit: Ter vrſus inuaſit me, ſed vrſarius Domini Dei liberauit me: appellabat autem vrſum diabolum, & vrſarium Michaelem Archangelum. Ter vrſus inuaſerat eum, quia ter tentauit eum in morte; primò de peccatis

com-

commiſſis ante baptiſmum, quia adultus baptizatus fuerat. Secundò de peccatis commiſſis poſt baptiſmum ante religionis ingreſſum; Tertiò de peccatis in religione commiſſis. Et cùm in prima eſſet quaſi in procinctu deſperationis neſciens quid reſponderet, Angelus illuſtrauit eum & ad ſpem incitauit, dicens ſibi illa per baptiſmum remiſſa. Similiter cum in ſecunda quaſi deficeret, Angelus ſuggeſſit fiduciam, dicens commiſſa poſt baptiſmum per religionis ingreſſum fuiſſe condonata. In tertia reſpondit tentatus Angelo inſtigante per auſteritatem religionis, & mortificationem voluntatis, demum per patientiam in infirmitate ſibi fuiſſe dimiſſa. Et ſic Angelus dæmonem coërcuit ne ſalutem eius impediret.

Chryſoſtomus in laudatione S. Virginis & Martyris Pelagiæ Antiochenæ aliud exemplum de illa refert. Iacebat, inquit, cum ex alto ſe mirabiliter dediſſet, in ſolo ipſo, & anguſto quodam loco; ſed Angeli corpus Pelagiæ circundabant, & Archangeli omnes honorabant. Chriſtus denique ipſe præſens erat: Nam ſi Domini mortuos aliquos ſeruos nobiliores deducant, neque id

erubeſcant; multò magis Chriſtus ipſe Virginem, qui eius cauſa libenter animam emiſerat, & tantum tormentum ſuſceperat, præſentia ſua honorare non recuſauit. Et idem Chryſoſtomus in alia eiuſdem Virginis laudatione fol. 574. apud Surium. Quo enim ait loco Chriſtus adeſt, illic omnium Angelorum chorus præſto eſt. Hoc eius dictum cupimus benè notatum pro confirmatione multorum, quæ alibi diximus & dicturi ſumus. Non ſolam autem animam ſuſcipi vides, ſed & corporis quoque rationem haberi; quemadmodum & ex ſepultura corporis Moyſi per Michaelem facta demonſtratur.

De D. Martino Eccleſiæ cantus eſt: Quem Michael aſſumpſit cum Angelis; Maria ſuſcepit cum Virginum choris. Dicitur verò S. Michael, inquit Feliſius, conſtitutus ad animas ſuſcipiendas non quod per ſe ſemper id exequatur, ſed quod hoc illi tãquam principi vt fieri per ſuos curet ſit commiſſum.

Sed & animas in paradiſum vſque Angeli deportant, & hoc notanter de S. Michaele in figura populi Iſraelitici in terram promiſſam per eum deducendi prædictum &

Eccleſiæ

Eccleſiæ Chriſti promiſſum fuit Exod. 24. quia quaſdam ex priuilegio in aſſumpto ab eis corpore aërio viſibiliter ad cælum detuliſſe leguntur; vti de S. Nicolao; de S. Benedicto, & de S. Martino, cuius animam vidit S. Seuerinus ab Angelis aſſociatam in cælum deferri, & diabolum non potuiſſe impedire eius tranſitum. Et multò magis hoc creditur de domini matre, quam chori Angelorum de hoc mundo migrantem in cælum eleuarunt. S. Antoninus. Portant demum Angeli animas Sanctorum (vt ait diſcipulus in ſerm. de Angelis) valdè reuerenter, quia non in humeris, ſed in manibus, Pſal. 90. In manibus portabunt te, &c. Portant valdè diligenter, quia dicitur ibidem: Ne forte offendas ad lapidem pedum tuum: Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis &c. Portant valdè gaudenter, quia cum canticis, & iubilationibus, iuxta illud Iſ. 55. In lætitia egrediemini, & in pace deducemini: Montes, & colles cantabunt coram Deo laudes. Etiam portant valde humiliter, quia pauperes, & mendicantes non deſpiciunt ſicut patet de paupere Lazaro & mendico Luc. 16.

Digitized by Google

CAP. XI.

De eodem animas ponderandi officio, & in extremo iudicio quid geſturus.

MIchael Archangelus, inquit in ſermone de Angelis Diſcipulus, habet officium ponderandi merita, & demerita animarum: Nam ſecundum picturas, quæ ſunt libri laicorum Michael in ſtatera animas ponderat, vt quæ ſint plenæ, & quæ vacuæ recognoſcat. Dicitur autem Dan. 5. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Sunt igitur quædam animæ plenæ, quædam vacuæ, quædam ſemiplenæ, quædam ſuperplenæ. Vacuæ ſunt, quæ ſecum nulla bona opera portauerunt: iſtas Michael ponderat, & eas vacuas inueniens dicit. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es nihil habens. Et in perſona Chriſti Matth. 22. eas ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mitti iubet. Semiplenæ ſunt, quæ aliqua quidem bona opera, ſed tepidè tamen & negligenter ea fecerunt. Iſtas S. Michael ponderabit,

bit, & dicet. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens ; & illud Chriſti Domini Apoc. 3. Non inuenio opera tua plena coram Deo meo. Et iterum, vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: Iſta enim opera ſunt plena, quæ fiunt cum feruore: iſta ſemiplena, quæ cum negligentia & torpore. Illæ animæ ſunt plenæ, quæ ſecum multa opera bona portauerunt: Iſtas S. Michael ponderabit, & dicet: Appenſus es in ſtatera, & inuentus es ſatis habens, ſecundum illud Matth. 25. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: & ideo, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum &c. Iſtæ autem animæ ſunt ſuperplenæ, quæ non tantum præcepta ſeruauerunt, ſed etiam conſilia ſupererogauerunt: quas proinde S. Michael ponderabit & dicet. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es multum habens. Vnde & de ijs dici poteſt illud Luc. 6. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in ſinum veſtrum: bonam, quia mandata diuina ſeruauerunt; Confertam, quia terrena contempſerunt; coagitatam, quia propriam voluntatem ſubiugauerunt.

Digitized by Google

Idem porro, quod eximium in eo erit, omnes homines vocabit ad iudicium generale. Vt enim Paulus 1. Theſſ. c. 4. Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archāgeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo; & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Eſt enim, inquit Eckius, Doctorum ſententia, quod per Angelos prouinciarum vniuerſo inclamabit, orbi: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quamuis Hieronymus putet ipſum Chriſtum ſic eſſe clamaturum, ſecundum illud Ioan. 5. Mortui audient vocem filij Dei. Sed de hac re latiùs lib. 5. cap. 29. & quod ipſe, & Angeli eius perficient iudicium Dei.

C A P. XII.

De alijs eius prærogatiuis, & officijs.

OFfert & Deo precẽs Eccleſiæ, & oblationes; & hinc canit Eccleſia in eius feſto: Stetit Angelus iuxta arã templi habẽs thuribulũ aureum in manu ſua. Et in qualibet ſolemni miſſa ad offertorium orat ſacerdos, vt per interceſſionem B. Michaelis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, incenſum iſtud (thuris ſcilicet) benedicatur & in odorem ſuauitatis accipiatur. Item in canone poſt oblationem: Iube, inquit, hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime altare tuum: vel, vt Æthiopes in ſua miſſa legunt, in ſupercœleſte altare tuum. Et: Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas, deprecamur: in pręfatione, quanquam per Angelum Dei ibi communius Chriſtus ipſe, qui magni conſilij Angelus dicitur, intelligatur.

Circa Energumenos à dęmone vexatos, ipſe quoque mira exercet, vt eum tanquam perpetuum Eccleſiæ hoſtem, & Dei taber-

nacula obſidentem, vt in ijs colatur, confundat, & contra Deum gloriari non ſinat. Teſtes ſunt exorciſtæ etiam noſtri temporis, & mirabile exemplum poſuimus lib. 5. cap. 24.

Illuminat & Angelos inferiores etiam principes, vt Gabrielem Dan. 8. & Zach. 2. & in apoc.

Illuminat autem (vt exponit D. Thom. 1. q. 106. art. 1.) non eis lumen naturæ, gratiæ, vel gloriæ tradendo, ſed virtutem eorum intellectiuam confortando, & veritatem ſibi notam iuxta eorum capacitatem proponendo. Ad quem etiam ſenſum, rationis ſolùm diſcrimine; alios purgare, ac perficere iuxta B. Dionyſium rectè dicitur. Etſi enim omnes Angeli tam inferiores, quam ſuperiores Dei eſſentiam immediatè videant; & quantùm ad hoc nullus alium illuminet: rationes tamen diuinorum operum, quę in Deo cognoſcuntur ſicut in cauſa, & quas omnes ſolus Deus comprehendit, tanto vnuſquiſque Deum videntium plures cognoſcit, quantò eum perfectiùs videt. Vnde ſupremus Angelus cum ſupra omnes alios perfectiſſimè Deum videat, plurima etiam ijs alioquin ignota cognoſcit,

gnoſcit, & de his eos illuminat. Conſequenter autem, & eorum voluntatem mouere poteſt, ac mouet; ad amorem quidem, dum & quatenus obiectum amabile, & ad Dei bonitatem ordinatum proponit & ſuadet: ad fugam verò, ac deteſtationem, quando obiectum odibile, & à Dei bonitate alienum. Inſuper verò aliorum Angelorum & Archangelorum eſt in arduis auxiliator, & adiutor, quando ſcilicet ab alijs fortiùs impugnantur. Vnde, (& quod mirum) ipſe ſolus venit in adiutorium Gabrieli contra Perſarum principem. Dan. 10. de qua pugna vide ſupra lib. 3. Vbi & notandum quod nomen Gabrielis tunc primùm ipſo prodente fuerit agnitum; ſicut & Gabriel ipſe primus nomen Michaelis protulit, & cum perſona declarauit. Inuocatur & Michael contra proprium amorem, vt is ex animo depellatur; qui Luciferum ſcilicet ob eum expulit, quemadmodum & Gabriel inuocatur pro amore Dei impetrando. Ita legitur in libro gallico de perfectione, qui ſanctæ, neſcio cui, virgini aſcribitur.

CAP. XIII.

Vt Dei perſonam ſuſtineat.

IPſius Dei perſonam ſuſtinet; & ita aliquando etiam Deus in ſcripturis nominatur, & vt Deus adoratur: quippe Exo. c. 20. Ego ſum Dominus Deus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruitutis: Non adorabis Deos alienos &c. Et tamen legiſlator ille Angelus fuit, vt Paulus Hebr. 2. ibi: Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus &c. & Act. c. 7. Iudæis obijcit S. Stephanus: Vos accepiſtis, inquiens, legem in diſpoſitione Angelorum. Idemque eodē cap. Apparuit, inquit, illi (Moyſi) in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi, & paulò poſt accedente illo propiùs, facta eſt vox: Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Sic etiam Deus hoſpitio excipitur ab Abraham in conualle Mambre Gen. 18. Et tamen ſecundum Apoſtolum Heb. 13. Angeli hoſpitio excepti dicuntur. Et Dominus præcepit Abrahæ filium immolari,

molari, id quod tamen Angelus poſt inhibet, idem ſcilicet qui Dei perſonam gerens ante præceperat, vt fides & obedientia Abrahæ nota fieret. Ita nimirum vt ſcriptura diſertiſſimis verbis, quæ nunc tribuit Deo, poſtea tribuit Angelo, & Deus Angelus, & Angelus Deus vocatur. Sic qui Gedeoni, & matri Samſonis apparuit, iam angelus, iam Dominus appellatur. Ac licet oblata ipſi angelo ſacrificia legantur, qui apparebat, angelus erat, ſed Deum tamen referebat, & illi fiebat, non qui apparebat, ſed quem ille repræſentabat. Sic Gen. c. 31. Dixitque Angelus Domini ad me in ſomnis (inquit Iacob) Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. En ipſe Angelus dicit ſe Deum Bethel; ipſe, inquam, Angelus dicit ſibi votum factum. Verum quia Dei ſuſtinebat perſonam, Deum ſe vocare potuit. Quomodo puer, qui in ſcena Alexandri Macedonis perſonam agit, Alexandrũ quidẽ repræſentat; & tamen Alexander, & loqui, & apparere dicitur per illũ. Et Auguſtinus lib. 3. de Trin. c. 11. Cur ergo ſcriptum eſt, inquit, dixit Dominus ad Moyſen, & non potius, dixit Angelus ad Moyſen? quia cum verba Iudicis preco pronun-

pronunciat, non ſcribitur in geſtis ille preco dixit, ſed ille iudex: Et quando dicitur, propheta dixit, nil aliud quàm dominum dixiſſe intelligi volumus, &c. Huc etiam facit Eccleſiæ antiphona ante ſolemnitatem natalis Domini in qua canitur. O Adonai, & dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento. Hoc enim ideo ſic dicitur, quia Angelus ille in aſſumpto corpore Chriſtum, (quem ibi Eccleſia alloquitur) repræſentabat; imo veriſimile eſt quod eo ſchemate, & lineamentis corporis apparuerit, quo poſtea naſciturus erat Chriſtus, vt apud patres interdum & Doctores ſcholaſticos inuenitur. Vnde & ſupra c, 3. eundem Angelum (diuum Michaelem) oſtendimus, & Chriſtum & Ieſum fuiſſe nominatum. Et tabulam etiam vel imaginem eius nomine ſic appellamus, cuius formam, & ſpeciem nobis refert.

Denique, vt ait Thyreus lib. 2. de apparitionibus, illud generale eſt Deum per ſe nunquam corpus aſſumpſiſſe ſi quando olim in veteri teſtamento dicitur viſus, omnes autem viſibiles apparitiones Dei

nomine

nomine factas Angelorum miniſterio, & opera, qui corpora, & aptauerunt,& aſſumpſerunt Deique perſonam ſuſtinuerunt. Vnde & Dionyſius Areopagita dicit Deum hunc mundum, & quæcunque in mundo ſunt, non per ſe, ſed per cauſas ſecundas adminiſtrare. Et quid ni? vt enim Angeli ea præſtent, ratio officij ipſorum poſtulat: Et hoc ſolum habet Deus (quoad has apparitiones) quod dicitur apparere; Angeli corpus formant; Angeli corpus aſſumunt, Angeli ſe in corpore mouent, Angeli in,& per corpus operantur. Quæ tamen omnia multò magis Archangelo Michaeli adaptantur pro maiore Dei gloria, vt ei, qui populum veterem duxit,& direxit, legem in perſonã Dei dedit &c. Nec tamen non ſæpe ſuam etiam propriam, non Dei perſonam ſuſtinuiſſe inuenitur.

CAP. XIV.

De qualitate, & ſpecie apparitionum eius.

COnſequens nunc eſt, vt de qualitate, & ſpecie eiuſmodi apparitionum ſtrictim dicamus, quò tantò faciliùs ea, de quibus agimus, diſtingui poſſint. Quatuor earum genera ponit Thyreus. Alia enim ocularis, alia vocalis, alia imaginaria, alia intellectualis. Neque non veroſimile eſt B. Michaelem modò hac, modò illa quandoque vſum eſſe ſiue Dei ſuſtinendo perſonam, ſiue ſuam agendo.

Intellectualis ea intelligitur, vbi neque viſu, neque auditu, neque per imaginatiuæ, ſiue phantaſiæ interiorem ſenſum apparitio, ſiue Dei, ſiue Angeli fit, aut percipitur, ſed per intellectus illuminationem dumtaxat in eum ſe inſinuans, & mentis ſuæ ſecreta manifeſtans, & ſic quodãmodo loquens; quomodo Deus locutus fuit prophetis, ſpiritibus, & animabus. Et S. Paulus 2. Cor. 12. in cælum raptus audiuit arcana

verba,

verba, quæ non licet homini loqui: Necnon Moyſes didicit mundi creationem, & alia poſt geſta. Fitque vel per ecſtaſim, vel abſque illa. In ea viſione interueniunt etiam angeli; non quidem ita, vt nouas rerum, quæ reuelantur, ſpecies conferant, quas ſolus Deus efficit, vtpote diuinioris ordinis,& ſupernaturalis, aut etiam nouum lumen, quod ijs eſt ſimile: Verùm eatenus tantum, vt non nouas, ſed antea habitas nouo vſu communicent, & quando nouum lumen non confertur, ſed ad modum diſcipuli diſcentis mens illuſtratur.

Et hæc & Deo, & diuo quoque Michaeli tribuitur; vt (quantum capere licet) quando Gabrielem illuminaſſe dicitur, & ad alios angelos ſe refert, eoſque illuſtrat. vt in fine cap. 14. ex D. Thoma annotatum eſt. Imaginaria intelligitur apparitio, qua vox Dei, vel angeli vi tantum imaginatiuæ, ſeu phantaſiæ imprimitur abſque exterioris ſenſus interuentu; ſcilicet per ſpecies intentionales, ſeu ſimulacra rerum corporalium: fitque crebriùs in ſomno, nonnunquam tamen & in vigilia, vti prophetis. Sic autem Iudic. 6. Michael Gedeoni apparuiſſe creditur, & Iacob in Bethel, & Epiſcopo Sipontino.

Sed etſi Deus ipſe ſic & in hoc genere appareat: Angeli tamen & harum apparitionum ſunt authores; Dei perſonam ſuſtinent; vices obeunt; eo munere funguntur; & naturæ corporeæ ſubſidio per varias formas, atque phantaſmata, quæ in corpore reſident, imaginationes in ſomnis tranſmutant, atque mouent.

Vocalis, ſeu auricularis intelligitur, quando vox Dei, vel angeli exteriori tantum ſenſu per auditum ab hominibus percipitur, & interim nulla forma humana in oculos incurrit. Vox autem quæ auditur, ab ipſis angelis adminiſtratorijs fingitur, qui & Dei perſonam nonnunquam ſuſtinent. Et ſic Michael quoque ſe manifeſtauit, vti Abrahæ, quando iuſſit vt filium immolaret; aut Moyſi quando illi eſt in rubo locutus; aut is primùm in montem Sinai aſcendit. Et quando Samueli de punitione domus Heli loquebatur. 1. Reg. c.3.

Ocularis apparitio intelligitur, qua Deus, vel Angelus apparet corporali ſpecie aliquo aſſumpto alio corpore (proprio enim carent) quod quidem corpus non ipſius Dei opera, ſed angelorum tunc efficitur: Nihil enim cùm ſic apparet, in eo formaliter

ter efficit, ſicut nec Cæſar cùm eius imago depingitur; ſed angelis, cùm ſint adminiſtratorij ſpiritus, ea occupatio relinquitur; licet & nonnunquam in eo Dei perſonam ſuſtineant. Sic autem Michael apparuiſſe dici poteſt ipſi Agar fugienti, aut Ioſue in agro, c. 5. Item Abrahæ in conualle Mambre, vbi hoſpitio fuit receptus, Et Iacob ex Meſopotamia redeunti; Heliodoro in equo, Archippo ad flumina, ſeu infundibula (vt ſuo loco dictum eſt) & alibi ſæpius. Quo autem corporis ſchemate ſanctis illis patribus apparuerit, diximus cap. ſuperiori.

CAP. XV.

De Feſtis eius.

AD eius feſtum diem celebrandum vide ſupra lib. 1. inſignem exhortationem Metaphraſtis. Eccleſia, inquit Durandus l. 7. c. 12. in rationali diuinorum, facit feſtum de Angelis duplici ratione. Prima eſt, quia nobis miniſtrant, omnes enim ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui

hæreditatem capient ſalutis. ad Hebr. c. 1. Secunda eſt, quia pugnant pro nobis contra angelos malos; nec permittunt nos tentari ſupra id, quod poſſumus. De hac pugna habetur Apoc. 12. & de ea diximus ſæpius, & in ſequentibus dicemus. Tertia ratio ibidem à Durando indicata annecti poteſt; vt homines venerantes angelos, perueniant ad conſortium Angelorum: & eâ de cauſa in diebus Dominicis, & feſtiuis ſolemnitatibus nouem Pſalmi, nouem lectiones & nouem reſponſoria cantantur, vt per cantum illorum, ad conſortium perueniamus nouem ordinum Angelorum, quorum proprium eſt Deo cantare. Sed cum hoc feſtum ſit commune omnium angelorum: inquit idem author: nominatur tamen feſtum diui Michaelis potius quàm Gabrielis, vel Raphaelis, aut alicuius alterius, eiuſque nomine celebratur tum quia Michael eſt, qui miſſus in Ægyptum fecit illas famoſas plagas; qui diuiſit mare rubrum; qui eduxit populum per deſertum, & induxit in terram promiſſionis: Ipſe eſt præpoſitus paradiſi, cuſtos, & ſuſceptor animarum, & princeps Eccleſiæ: Tum verò etiam, quia ipſemet fundauit Eccleſiam, & conſecrauit

altare:

altare: vnde dicitur: Stetit Angelus iuxta aram templi: & hoc reuelauit hominibus per Epiſcopum loci. de qua hiſtoria, & apparitione dictum eſt ſupra lib.4.c.6. Feſtum porro D. Michaelis antiquiſſimum eſt. quod vocatur ad infundibula occaſione inſignis miraculi, quod apud Cherotopam non longè à Hierapoli, & Laodicia in Aſia contigit: paganis duos fluuios in vnum coactos, fruſtra in Archippum, templumque ac fontem diui Michaelis laxare ſatagentibus, quos diuus ibi apparens ſigno crucis aliò detorſit, & in cauernam, quæ præuio terræmotu ac tonitru iuxta petram ſe præbuerat, de cætero infundi, ſeu defluere iuſſit. Id quod adeo certum, & per Aſiam cognitum fuit, vt de eo expreſſa emanarit lex & ſanctio Manuelis Imperatoris Orientis. & 6. ſeptemb. commemoratio miraculi facti ab Archiſtratego Michaele in Coloſſis, ſiue in Chonis. Ex Metaphraſte prout ſupra, celebraturque feſtum menſis ſeptemb. 6. die. vide ſupra lib. 3. ca. 15. Vſuardus Molani ſic habet: 6. Idus Nouembris die 8. commemoratio Archiſtrategi Michaelis, & reliquarum incorporearum Virtutum.

Feſtum autem apparitionis eius in mon-

te Gargano celebratur ab Eccleſia octaua menſis Maij: & dedicationis eiuſdem, quæ anno pòſt ſecuta fuit, vigeſima nona ſeptembris. & 25. Martij Geneſis mundi, &c. & victoria Michaelis Archangeli contra draconem.

In libris capitulariùm Franciæ ſub Carolo Magno, & Ludouico Pio editorum, inter dies feſtos celebrari ſancitos fit etiam expreſſa mentio dedicationis S. Michaelis.

Feſtum apparitionis eius in Gallia, in Octobri videlicet 17. Kalendas Nouembris.

In Æthiopia quidam Pretioſus Ioannes rex, nomine proprio dictus Semen Iacob præter Apoſtolorum præcepta conſtituit quoque ex ſingulis menſibus vnum diem propter S. Michaelem celebrandum. Ita ſcribit Damianus Goes in libro de moribus Æthiopum.

Anno 1584. in Synodo Atrebatenſi decretum fuit, vt in diœceſi feſtum S. Michaelis eſſet ſolemne.

Apud Soſthenium & regiam vrbem quanta in veneratione feſtiuitas fuerit, facilè æſtimabitur ex ingenti numero templorum, quæ illic fuere extructa.

Zonaras in Imperio Iſaaci narrat de Patriarcha

triarcha Michaele Cerulano, qui cùm in ſuum monaſterium ad feſtiuitatem cœleſtium copiarum, quę ibi celebrantur, ſplendidiùs celebrandum iturus eſſet: miſſa illuc cohorte militum Imperator & ipſum, & eius nepotes relegarit. Quo paulò pòſt defuncto euolauit, & corpus voluit in monaſterio ab eo condito reponi, nepotibus eius priſtina dignitate reſtitutis. Adeò ſcilicet non fruſtra diuum coluerunt Archangelum.

CAP. XVI.

De imaginibus, & picturis eius.

Angelos etſi naturâ planè incorporeos rectè in Eccleſia depingi, ad proprietates ſcilicet eorum, geſtus aliquos, & acta repræſentanda, ex actione 5. & 7. ſynodi ſeptimæ, ex Cherubim in templo Salomonis, & ex ipſis eorum in corpore aſſumpto multis, ac varijs apparitionibus, notum ſupponimus. Quæ fuerit autem apud Græcos D. Archangeli pictura, declarat Nicetas Chomates ſub Impe-

rio Emmanuelis Imperatoris de templi apud Conſtantinopolim reſtituto agens. Vbi, inquit, princeps, & magnus Dei apparitor Archangelus Michael ſtricto gladio pro templi cuſtode imaginem habet tenuibu scalculis interpunctam. Arbitror in æde S. Alexij. Stricto autem gladio, vel armatum apparuiſſe ſatis notum exiſtit, & habes ſupra expreſſum exemplum in apparitione Martiano Cærifero facta lib. 3. c. 25. vbi etiam memoratur aliqua eius imago mirabiliu rerũ,curationũ,& ſanitatum effectrix. Sed nec minus mirabile eſt, quod eiuſdem lib. c. 17. retulimus ex actis S. Procopij martyris de tribus imaginibus Emmanuelis, Michaelis, & Gabrielis, quæ diuinitus in cruce, quam collo ſuo ſuſpendendam fieri curarat, efformatæ ſunt.

Depingitur autem, ſicuti & alij angeli, alatus, vt Feliſius exponit, ad ſignificandum motum promptiſſimum, ac velut inſtantaneum & ſenſu quaſi imperceptibilem; Deinde ad eleuationem eius ad cœleſtia deſignandam, fideliſque populi curæ ſuæ concrediti protectionem, & cuſtodiam. Id quod per alas, & volatum exprimitur. Ioannes Molanus in lib. de picturis

c.6.

Digitized by Google

c.6. Michaelem, inquit, Archangelum pingunt nonnulli cum libra ponderantem; in vna ſtatera animam, in alterâ verò eius virtutes. Ad ſtateram, in qua eſt anima, depingunt diabolum, qui eam conatur deprimere in quantum poteſt: in altera verò Michael ſigno S. crucis impedit conatum diaboli, & ex merito paſſionis, & crucis Chriſti videtur illi ſtateræ aliquid ſuperaddere. Alludit, vt videtur, ad hoc, quod habetur lib. 4. Eſdræ c. 2. & 3. (qui tamen liber non eſt canonicus) vbi de Angelo dicitur: Nunc ergo pondera in ſtatera noſtras iniquitates, & eorum, qui habitant in ſæculo; & non inuenietur nomen tuum, niſi in Iſrael. Sed de ratione huius picturæ; vide plura ſupra c.12. huius lib.

Ioannes Gabalon dicit etiam in templo S. Michaelis non decere Angelos purpureas veſtes, ſed albas; communiter autem inquit, pingitur in lineis, vel armis ſub pede draconem crucis iaculo confodiens. Qua ſpecie etiam Angli ſuos angeloros in moneta percutiunt. A quo tempore, & qua de cauſa, indicauimus c.4. lib.5. Pro albo in eius pictura colore faciunt, quæ infra c. 33. in fine habentur.

CAP. XVII.

De montibus eius, & altis locis.

CVr vt plurimùm eius templa ponantur in montibus, & altis locis, Ioannes Belethus in rationali officij diuini c. 154. rationem eam reddit, quoniam in Gargano monte viſus ſit, ac ipſe ſibi in alto locum elegerit. Ideoq́ue vbique ferè terrarum baſilica in eius honorem conſtituitur in alto: ſanctis verò hominibus in imo. Comprobantur hæc ex ijs, quæ præterea de monte eius in Gallia Normannica, in Anglia, Germania, Hybernia, Norwegia, Tranſiluania, Lotharingia, ſeu in finibus eius verſus Theonis villam, & alijs locis fusè libris ſuperioribus deducta ſunt. Tornaci capella eius, & altare ſupra templi primarium veſtibulum viſitur. Louanij ſupra portam ipſam, qua Thenas itur. Bruxellæ in S. Gudulæ cliuo, quod etiam templum S. Michaelis antea dicebatur, & in eadem ciuitate in ſummitate altiſſimæ turris domus ciuicæ eius imago, vt ciuitatis, & Archi-

Archiducum patroni primarij poſita cernitur. Leodij templum patrum Cappucinorum in honorem diui Michaelis in eminente ſupra reliquum ciuitatis monte extrui curatum eſt ibique ad ingreſſum ſupra templi portam altiùs imago eius draconem pede conterens, & iaculo crucis confodiens, ſcutumque cum inſcriptione (quis vt Deus) manu tenens, aptè locata cernitur. Eſtque præterea in eadem Ciuitate templum aliud parochiale D. Michaelis. Quod autem ſanctis in imo templa conſtitui dicit Belethus, ad eorum eſt originem referendum; vt qui de terra nati fuerunt: Angelis autem cælum eſt natale.

De templis illi dicatis, vide, inquit Baronius, legem quoniam de ſacroſancta Ecclesia (quam tamen non reperio) & Procopium de ædificijs Iuſtiniani Imperatoris: vbi de ſex fit mentio.

Templum apud Cherotopam antiquiſſimum videtur; apud Coloſſos, ſiue Chonas; apud Soſthenium, & in vrbe, quæ, & à quibus ornata, ſtructa, reparata fuerint, ſuis locis dictum eſt.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

De titulis eius, & appellationibus.

PRinceps ſummus omnium Angelorum, & ordinum. ſupra c. 4.

Princeps ſynagogæ. ſupra c. 6. & alibi ſæpe.

Princeps Eccleſiæ.ibidem,& ſæpius alibi.

Princeps Magnus. Dan.c.12.

Vnus de principibus primis.Dan.c.10.

Angelus Domini antonomaſticè; Maximè in arduis, & vbi de zelo agitur, niſi alius nominatim vel aliter inſinuetur.

Archidux cœleſtium copiarum, ſecundùm Nicetam Chomatem.

Magnus apparitor cæli, Zonaras.

Angelorum coryphæus, & archiſatrapa. Sophronius archiep. Conſtantinopolit.

Spiritus oris Dei. 1.Theſ.4.

Tuba Dei, ibidem.

Virga oris Dei, Iſaiæ 11.

Spiritus labiorum Dei, ibidem.

Tuba nouiſſima, 1.Cor.15.

Signifer Sanctus. Eccleſia.

Ar-

Archiſtrategis.

Impreſſor ſtygmatum Chriſti. Ribera, & ob ea ſtygmata D. Franciſco ab eo impreſſa.

Expulſor amoris proprij.

Accenſor ſanctarum mentium.

Illuminator Angelorum, & hominum.

Angelus pacis, In hymno.

Angelus Victoriæ.

Præpoſitus paradiſi.

Antagoniſta, & peremptor diaboli.

Ductor ordinum cœleſtium. Pantaleon.

Archangelus Maximus. Idem.

Stella decoris Angelici. Idem.

Fax clariſſima lucis inacceſſæ. Idem.

Aſſeſſor myſticæ Trinitatis. Idem.

Luminare ſpecioſum totius orbis. Idem.

Purum receptaculũ altiſſimæ lucis. Idem.

Fortiſſimus pugnator, & propugnator. Idẽ.

Vindex Zeloſiſſimus blaſphemorum. Idẽ.

Signaculum decoris Dei.

Mirabilium operator.

Suſceptor, & protector animarum.

Librator meritorum.

Vexillifer Chriſti.

Interemptor Antichriſti. In Apoc.

Digitized by Google

CAP. XIX.

Peregrini & alij ei deuoti.

IN Aſia, & Græcia. Laodicenus Ciuis. De quo Pantaleon diaconus.
Archippus Æadituus templi Chonenſis.
Martianus eius Cæriſer.
Medicus, & presbyter eiuſdem Martiani.
S. Procopius martyr.
S. Paphnutius martyr Eremita.
S. Daniel Stilites.
Conſtantinus magnus cum ſuis.
Argonautæ.
S. Plato martyr.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Theodorus Archimandrita. Pantaleon Diaconus.
Simeon metaphraſtes.
Baſilius Imp.
Iſaacus Imp.
Manuel Imp.
Probianus.
Aquilinus Cauſidicus.
Multi populi.

In

In Italia, & Germania.

Epiſcopus Sypontinus.
S. Benedictus Abbas cum ſuis.
S. Maurus cum ſuis.
S. Grimoaldus rex Longobardorum.
Chunibertus rex Longobardorum.
Drepanus Florus poëta.
S. Henricus Imper.
Socrus Henrici 3. Imp. ex Gargano reuerſa Beneuentum incidit in tumultus.
Baronius anno 1047. Otto Imp. 1.2.3.
S. Chunigundis Imp.
S. Hildegardis.
S. Romualdus Epiſcopus Aſſiſij.
S. Franciſcus, qui & ab eo ſtigmata Chriſti recepit.
S. Otto Epiſcopus Bambergenſis, & ciues, ac populus.

Leo Papa 9. Epiſcopus antea Tullenſis, qui cùm Romam tenderet, audiuit voces Angelorum: dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, quorum cultum ſtudio propenſiori frequentaret. Hincque eſt quod ſimul ac pontificiam confirmationem Romæ accepit, nihil ibi mo-

moratus, Sipontum in Apulia ad viſitandam S. Michaelis Archangeli Eccleſiam ſitam in rupe Garganâ, celeberrimam eius temporis peregrinationem ad promerenda ibi SS. Angelorum ſuffragia apud Deum accurrerit. vt refert Baron. anno 1049.
Alexander Papa tertius.

In Gallia.

S. Ausbertus Epiſcopus Arboricenſis cum populo & accolis. Mulier grauida, quæ in medijs fluctibus parturiens ope Archangeli cum partu ſalua euaſit.
S. Arnulphus Epiſcopus Sueſſonenſis.
Robertus primus dux Normanniæ, filius Guillelmi.
Ado Treuirenſis Epiſcopus.
Eberhardus primus Epiſcopus Bambergenſis.
S. Poppo.
S. Anno.
S. Benno.
Fredericus 3. vel 4. Imp.
S. Chriſtina. Multi pueri è Brabantia, & Germania.

In

In Anglia, & alibi.

Henricus primus rex Angliæ, & alij reges.
S. Swibertus.
S. Guidwalus.
S. Ioannes Epiſcopus Eboracenſis.
Comes Moritonij,
Ramirus rex Hiſpaniæ. Multi alij reges Caſtellæ, Luſitaniæ, Aragoniæ, Moſcouitæ, Æthiopes, ſiue Abaſſini.
Sancta Ortelana pijſſima fœmina mater S. Claræ Virginis.
S. Ægidius tertius S. Franciſci diſcipulus.
S. Autbertus Epiſcopus Cameracenſis idemque ſanctitate inſignis, cui, vt ex Sigeberto in Chronico refert Baronius ad annum Chriſti 709. apparitio diuinitus facta fuit de baſilica in honorem S. Michaelis erigenda.

Ex ratione autem temporis eiuſdem anni, & nominis eiuſdem S. Autberti Epiſcopi eadem hæc videtur apparitio, quam ſub nomine S. Autberti Epiſcopi d'Auranches refert Ioannes Hiſpanus Doctor Theologus magnus Prior S. Remigij Remys & Prior ſanctæ Vauburgæ in hiſtoria vitæ & mira-

miraculorum S. Vauburgæ Virginis Abbatiſſæ pag. 573. vbi: Anno, inquit, 709. ſanctus Michael inſtitutus à Deo Patronus vniuerſalis & protector Eccleſiæ Chriſtianæ apparuit S. Autberto Epiſcopo d'Auranches mandans illi ædificare Eccleſiam nomine ſuo in vertice rupis in mari diſtantis à dicta ciuitate tribus leucis ad ſimilitudinem montis Gargani. Quod factum fuit, & eſt Abbatia per Franciam valde celebris & à Catholicis honorata, qui è longinquis etiam patrijs, eò peregrinationem ſuſcipiunt ſuntque ibi indulgentiæ magnæ per Papas conceſſæ. Ac continuò idem author: Zozomenus, ait, & Nicephorus apparitionis alterius S. Michaelis iuxta Byzantium poſtea Conſtantinopolim dictum, meminerunt, in cuius memoriam ampla Baſilica extructa fuit, ac miraculis multis illuſtrata: Et acta Epiſcopi Eutonomi (quæ Surius recitat) fidem faciunt, quòd à tempore Diocletiani Imperatoris eſſet in Bithynia Eccleſia Deo dicata, in honorem S. Michaelis. Ità ibi.

CAP.

Cap. XX.

An ſit vnus è ſeptem Angelis, vel ſpiritibus.

SEptem eſſe ſpiritus, qui curam habeant earum rerum, quæ in terris geruntur, conſtat, & de ijs ſit mentio Apoc. c. 1. his verbis: Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt. Vbi Ribera: Angeli, inquit, magni, & inter cæteros dignitate excellentes, quibus humanæ ſalutis cura demandatur, ſecundum Irenæum, Clementem Alexandrinum, Aretham. Et vt Clemens, primogeniti Angelorum, & per quos omnibus hominibus prouidet Deus. Ideoque oculi Dei, & Chriſti dicuntur Zach. c. 4. Septem oculi, qui diſcurrunt in vniuerſam terram. Hæc ille. Et verò cap. 4. Apoc. Lampades ſeptem ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei &c. de quibus etiam agitur Tobiæ c. 12. Quod autem S. Michael ſit vnus de eorum numero, ponit Catharinus in 1. ad Tim. 5. & Heb. 1. Et quidem primus: ſecundus, Gabriel:

briel: tertius Raphael, &c. eoſque ſeptem peculiariter ab Apoſtolo vocari electos Angelos. Verùm, cum vt ſupra non ſemel explicatum fuit, Michael ſit omnium ſpiritum abſolutè princeps, & in eo faſtigio Luciferi ſucceſſor, etiam ſupra hos ſeptem eſſe dici poteſt. Nec repugnat, imo decorum eſt aliquem Monarcham habere ſeptem aliquos ſummos principes: Vti apud Perſas ſeptem Magos, & ſupra eos à rege ſecundum aliquem conſtitutum, vti Danielem, Mardochæum, vel Ioſeph, qui perſonam regis ſuſtineat, & locum, vt dicunt, teneat. Confirmamus hoc ex c.8. Apoc. vbi in apertione ſeptimi ſigilli, dicitur: Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei; & datæ ſunt eis ſeptem tubæ. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram. Et facta ſunt tonitrua, & voces, & figura, & terræ motus magnus.

Et

Digitized by Google

Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe, vt tuba canerent. Patet autem hîc apertè ſeorſim,& diſtinctè poni ſeptem Angelos tuba canentes,& alterum Angelum ad altare aureum cum thuribulo ſtantem, & res maioris officij exequentem. Vbi Ribera. Quis ſit hic Angelus, inquit, non conſtat. Non videtur improbabile fuiſſe Gabrielem, qui Danieli pro ſalute populi oranti apparuit, Dan.c.9. Aut certè Michaelem, cui tota Eccleſia commiſſa eſt. Et ideo fortaſſe repetit in eius officio Eccleſia, quod de hoc Angelo ſcribitur: Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua. Hæc ille. Rupertus verò ibi veraciter Angelum illum fuiſſe Michaelem Archangelum Principem noſtrum, eumque cunctis retro ſæculis ſtetiſſe pro filijs populi illius, eorumque fuiſſe adiutorem, ſentit; vt latè ibi diſſerens videri poteſt. Gabriel autem eſſe non potuit, quia ſine controuerſia videtur ipſe eſſe de numero illorum ſeptem ſpirituum, ſicut & ipſe Raphael, id de ſe aperiens, Tob. c. 12.

CAP. XXI.

De ſupremo iterum eius ſupra omnes Angelos principatu ex Cardinale Bellarmino.

CONformia etiam de ſuprema eius ſupra omnes Angelos ſub Deo præſidentia & principatu tradit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. Vbi: Nec minùs certum & exploratum eſt, inquit, inter Angelos præter ſummum Regem omnium Deum eſſe vnum, qui omnibus alijs præſit. Ac initio quidem hac dignitate præditum fuiſſe eum, qui nunc diabolus dicitur, teſtes ſunt Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, Greg. hom. 34. in Euang. & lib. 32. moral. c. 24. Hieronymus, ſeu potius Beda in c. 40. Iob. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono c. 12. & deduci poteſt ex ſcriptura Iob 40. vbi Behemot, id eſt, diabolus, dicitur principium viarum Domini. & Iſaiæ 14. vbi comparatur Lucifero, id eſt, ſtellarum maximæ & pulcherrimæ, ſaltem quoad apparentiam, & vulgi opinionem, ad quam ſe ſcripturæ accommodare

modare ſolent. Hunc autem Luciferum eſſe diabolum docent Hieronymus & Cyrillus in hunc locum, & Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. Dei c. 15. & Ezech. 28. vbi dicitur: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* & mox enumerantur nouem lapides, quibus ſignificantur, vt Greg. exponit lib. 32. moral. cap. 25. nouem chori Angelorum, qui hunc Angelum tanquam Principem ſuum circumſtabant. Poſt caſum verò diaboli S. Michaelem Principem eſſe omnium Angelorum colligitur ex c. 12. Apoc. vbi dicitur Michael & Angeli eius. Vt enim cùm ibidem dicitur, Diabolus & Angeli eius, intelligimus omnes Angelos malos diabolo eſſe ſubiectos, vt milites Imperatori, ita cùm dicitur, *Michael & Angeli eius*, intelligere debemus omnes Angelos bonos Michaelem Principem ſuum agnoſcere. Quocirca rectè in Eccleſiaſtico officio S. Michael paradiſi Præpoſitus & Princeps cœleſtis militiæ nominatur. Ita ibi Bellarminus probans inter alias rationes & authoritates regimen Eccleſiaſticum debere eſſe Monarchicum ex ſimilitudine, quam habet Eccleſia mortalium hominum cum Eccleſia immortalium Angelorum. Qua

ratione, inquit, vtitur etiam Gregorius lib. 4. Epiſtol. 52. & quam etiam exemplarem ſimilitudinem indicare videtur Apoſtolus ad Hebr. 8. & diſertè affirmat Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium.

CAP. XXII.

De cognitione eius, & intellectu.

COgnitio eius, ſicut & omnium Angelorum eſt per facultatem intellectus, ſine tamen agente, iuxta B. Thomam, & poſſibili, quem vocant, intellectu. Angelis enim ab initio inditæ ſunt ſpecies luminoſæ intelligibiles, magis vniuerſales, quàm ſint ſpecies intelligibiles abſtractæ in hominibus: ſic quod minimus Angelorum plura diſtinctiùs, & clariùs cognoſcat per vnam ſpeciem, quam homo etiam per plures acquiſitas. Et inter Angelos ſuperior (qui habet ſpecies magis vniuerſales) plura diſtinctiùs, & clariùs intelligit, quam Angelus inferior per plures ſpecies minùs vniuerſales. Vnde ſequitur quòd Angeli quantò ſunt ſuperiores, tantò pauciores, ſed magis vniuerſales habeant ſpecies,

cies, per quas intelligant abſque diuiſione, compoſitione, & ratiocinatione, vt idem B. Thomas docet. Intelligunt enim omnia creata, & veritatem illorum adeò clarè, vt circa naturalia errare non poſſint; ſicut nec homines circa prima principia hallucinãtur, dummodo terminos intelligant. Et quoniã Angeli beati cognoſcũt res duplici modo, ſcilicet, in Verbo diuino, cuius viſione ſunt beati;& in propria rerum natura. Inde etiam à S. Patribus duplex eis cognitio tribuitur, Matutina, & Veſpertina. Illâ per verbum, & in verbo cognoſcunt res & ſecundùm eſſe, quod habent in verbo, & ſecundùm eſſe, quod habent in propria natura: iſtâ autem cognoſcunt res per ſpecies earum congenitas. Futura verò contingentia, ſecretas cordium cogitationes; ſupernaturalia gratiæ myſteria, tantùm cognoſcunt, quantum eis reuelantur, plura vel pauciora, prout ſuperioris, vel inferioris ſunt ordinis, & in beatitudine maiores. Vnde cùm S. Michael omnium Angelorum ſit ſupremus, & Eccleſiæ Chriſti princeps, & director; ſatis inde liquet quanta myſteriorum ad Eccleſiam pertinentium ſit cognitio, & intelligentia. Ex qua

deinde velut ex fonte copioſiſſimo alijs ſibi inferioribus communicat & diſtribuit.

CAP. XXIII.

De voluntate eius & zelo.

ALtera, quæ omnibus Angelis facultas ineſt, voluntas exiſtit. Quæ quidem ab initio libera illi etiam ad malum fuit, ſicut & Lucifero, & omnibus Spiritibus. Verùm poſtquam immutabili propoſito ad Dei amorem, & cultum ſe conuertit, illi ſubijci volens, & obedire, ſummam eius omni ex parte conſecutus eſt perfectionem; ita vt inter Seraphinos ob excellentiſſimum ardorem ſit primus, & talis eſſe agnoſcatur. Et quia bonæ fuit voluntatis; ideo pax illi eſt cum Deo, & æterna gloria. Et cùm Seraphinis proprium ſit alios ad incendium amoris diuini promouere; in Deum ordinare, & diligendi formam tribuere, id eſt, quod præcipuè pręſtat princeps Archangelus Michael. Neque non liberum adhuc in eo, & bonis Angelis

gelis remanſit arbitrium (non quidem ad malum, cum id impotentiæ ſit) ſed ad bonum: ita enim per gratiam ſunt confirmati, vt ad malum declinare non poſſint; nempe quia vident Deum per eſſentiam. & ſemper quidquid volunt, vel agunt, ad Deum attendunt.

Voluntati Angelorum tribuitur executio. quando enim Angelus conſiderat certam operationem, & eam efficaciter vult illam perficere in tali loco, tunc fit contactus virtutis eius, & potentiæ, quæ maxima eſt, etiam in minimo Angelo. Sic & in locutione dicitur Angelus inferior ſe ad ſuperiorem conuertere, & velle quod is cognoſcat ſuas intentiones, & volitiones. quod niſi vellet, nullus quantumuis ſuperior Angelus eas videre poſſet: Solius enim id Dei eſt. Illa voluntas metaphoricè dicitur lingua, & locutio interior. vt exponit Viguerius.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

Pulchritudo, excellentia, & nobilitas eius quanta ſit.

EA inde colligitur, quòd minimus Angelorum ſecundùm ſuam naturalem eſſentiam ſit nobilior, & perfectior quæcunque anima humana ſecundùm ſuam naturam; ita quòd perfectiſſimus gradus humanæ naturæ (vt docet D. Thom. 1. p. non attingat gradum infimum naturæ angelicæ) in qua & perfectiùs imago, & ſimilitudo Dei reperitur, quàm in vlla cuiuſuis hominis anima. Secundus autem Angelus, omnium ſcilicet, qui in infimo ordine ſunt, penultimus, nobilior illo eſt vno gradu perfectionis eſſentiæ (ſpecie enim ideo omnes inter ſe differunt, iuxta eundem D.Th. nempe ſecundùm diuerſos gradus perfectionis) & non numero tantùm. Et tertius ſecundo etiam vno gradu eiuſmodi eſt excellentior: & ſic ſemper aſcendendo vſque ad ſupremum infimi ordinis Angelorum, in quo ſunt pluſquam millia

millia millionum Angelorum; nempe vt, quot homines in terris, & quot in orbe ſunt rerum ſpecies. Quis ergo poterit, non dico explicare, ſed vel tantillùm intelligere nobilitatem, ſpecioſitatem, magnificentiam, & gloriam ſupremi ordinis illius Angeli. A quo ſi exinde aſcendatur ad alios octo ordines ſuperiores gradatim ſemper addendo maiorem perfectionem; cùm ventum fuerit ad ſupremum Seraphim: Nonne deficiet mens præ ſtupore in contemplatione tantæ nobilitatis, & cum regina Saba, quando in cœleſte illud palatium admiſſa fuerit dicere præ admiratione compelletur: Maior eſt Sapientia, pulchritudo, nobilitas, & magnificentia tua, quam rumor, quem audiui? Atqui is eſt D. Archangelus Michael, vt ſupra oſtenſum fuit; Ita vt quæ Ezechielis c.28. Lucifero tribuuntur, multò auctiùs in eius de triumphatore Michaele reperiantur; adeò vt dici poſſit perfectiſſimum præ alijs ſpeculum, quo videtur Deus, ſignaculum ſimilitudinis Dei. & vt Sap. 7. ſpeculum ſine macula; quod & alijs bonis Angelis, in quibus nulla culpæ labes, ipſo propugnante vnquam fuit, proportionaliter conuenit. Vnde & Luci comparantur Gen. 1. & ſtellis

briel: tertius Raphael, &c. eoſque ſeptem peculiariter ab Apoſtolo vocari electos Angelos. Verùm, cum vt ſupra non ſemel explicatum fuit, Michael ſit omnium ſpiritum abſolutè princeps, & in eo faſtigio Luciferi ſucceſſor, etiam ſupra hos ſeptem eſſe dici poteſt. Nec repugnat, imo decorum eſt aliquem Monarcham habere ſeptem aliquos ſummos principes: Vti apud Perſas ſeptem Magos, & ſupra eos à rege ſecundum aliquem conſtitutum, vti Danielem, Mardochæum, vel Ioſeph, qui perſonam regis ſuſtineat, & locum, vt dicunt, teneat. Confirmamus hoc ex c.8. Apoc. vbi in apertione ſeptimi ſigilli, dicitur: Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei; & datæ ſunt eis ſeptem tubæ. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram. Et facta ſunt tonitrua, & voces, & figura, & terræ motus magnus.

Et

Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe, vt tuba canerent. Patet autem hîc apertè ſeorſim,& diſtinctè poni ſeptem Angelos tuba canentes,& alterum Angelum ad altare aureum cum thuribulo ſtantem, & res maioris officij exequentem. Vbi Ribera. Quis ſit hic Angelus, inquit, non conſtat. Non videtur improbabile fuiſſe Gabrielem, qui Danieli pro ſalute populi oranti apparuit, Dan.c.9. Aut certè Michaelem, cui tota Eccleſia commiſſa eſt. Et ideo fortaſſe repetit in eius officio Eccleſia, quod de hoc Angelo ſcribitur: Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua. Hæc ille. Rupertus verò ibi veraciter Angelum illum fuiſſe Michaelem Archangelum Principem noſtrum, eumque cunctis retro ſæculis ſtetiſſe pro filijs populi illius, eorumque fuiſſe adiutorem, ſentit; vt latè ibi differens videri poteſt. Gabriel autem eſſe non potuit, quia ſine controuerſia videtur ipſe eſſe de numero illorum ſeptem ſpirituum, ſicut & ipſe Raphael, id de ſe aperiens, Tob.c. 12.

CAP. XXI.

De ſupremo iterum, eius ſupra omnes Angelos principatu ex Cardinale Bellarmino.

Conformia etiam de ſuprema eius ſupra omnes Angelos ſub Deo præſidentia & principatu tradit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. Vbi: Nec minùs certum & exploratum eſt, inquit, inter Angelos præter ſummum Regem omnium Deum eſſe vnum, qui omnibus alijs præſit. Ac initio quidem hac dignitate præditum fuiſſe eum, qui nunc diabolus dicitur, teſtes ſunt Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, Greg. hom. 34. in Euang. & lib. 32. moral. c. 24. Hieronymus, ſeu potius Beda in c. 40. Iob. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono c. 12. & deduci poteſt ex ſcriptura Iob 40. vbi Behemot, id eſt, diabolus, dicitur principium viarum Domini. & Iſaiæ 14. vbi comparatur Lucifero, id eſt, ſtellarum maximæ & pulcherrimæ, ſaltem quoad apparentiam, & vulgi opinionem, ad quam ſe ſcripturæ accom-

modare ſolent. Hunc autem Luciferum eſſe diabolum docent Hieronymus & Cyrillus in hunc locum, & Auguſtinus lib.11. de Ciuit. Dei c. 15. & Ezech.28. vbi dicitur: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* & mox enumerantur nouem lapides, quibus ſignificantur, vt Greg. exponit lib.32. moral. cap. 25. nouem chori Angelorum, qui hunc Angelum tanquam Principem ſuum circumſtabant. Poſt caſum verò diaboli S. Michaelem Principem eſſe omnium Angelorum colligitur ex c.12. Apoc. vbi dicitur Michael & Angeli eius. Vt enim cùm ibidem dicitur, Diabolus & Angeli eius, intelligimus omnes Angelos malos diabolo eſſe ſubiectos, vt milites Imperatori, ita cùm dicitur, *Michael & Angeli eius*, intelligere debemus omnes Angelos bonos Michaelem Principem ſuum agnoſcere. Quocirca rectè in Eccleſiaſtico officio S. Michael paradiſi Præpoſitus & Princeps cœleſtis militiæ nominatur. Ita ibi Bellarminus probans inter alias rationes & authoritates regimen Eccleſiaſticum debere eſſe Monarchicum ex ſimilitudine, quam habet Eccleſia mortalium hominum cum Eccleſia immortalium Angelorum. Qua

ratione, inquit, vtitur etiam Gregorius lib. 4. Epiſtol. 52. & quam etiam exemplarem ſimilitudinem indicare videtur Apoſtolus ad Hebr. 8. & diſertè affirmat Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium.

CAP. XXII.

De cognitione eius, & intellectu.

COgnitio eius, ſicut & omnium Angelorum eſt per facultatem intellectus, ſine tamen agente, iuxta B. Thomam, & poſſibili, quem vocant, intellectu. Angelis enim ab initio inditæ ſunt ſpecies luminoſæ intelligibiles, magis vniuerſales, quàm ſint ſpecies intelligibiles abſtractæ in hominibus: ſic quod minimus Angelorum plura diſtinctiùs, & clariùs cognoſcat per vnam ſpeciem, quam homo etiam per plures acquiſitas. Et inter Angelos ſuperior (qui habet ſpecies magis vniuerſales) plura diſtinctiùs, & clariùs intelligit, quam Angelus inferior per plures ſpecies minùs vniuerſales. Vnde ſequitur quòd Angeli quantò ſunt ſuperiores, tantò pauciores, ſed magis vniuerſales habeant ſpecies,

Digitized by Google

cies, per quas intelligant abſque diuiſione, compoſitione, & ratiocinatione, vt idem B. Thomas docet. Intelligunt enim omnia creata, & veritatem illorum adeò clarè, vt circa naturalia errare non poſſint; ſicut nec homines circa prima principia hallucinãtur, dummodo terminos intelligant. Et quoniã Angeli beati cognoſcũt res duplici modo, ſcilicet, in Verbo diuino, cuius viſione ſunt beati; & in propria rerum natura. Inde etiam à S. Patribus duplex eis cognitio tribuitur, Matutina, & Veſpertina. Illâ per verbum, & in verbo cognoſcunt res & ſecundùm eſſe, quod habent in verbo, & ſecundùm eſſe, quod habent in propria natura: iſtâ autem cognoſcunt res per ſpecies earum congenitas. Futura verò contingentia, ſecretas cordium cogitationes, ſupernaturalia gratiæ myſteria, tantùm cognoſcunt, quantum eis reuelantur, plura vel pauciora, prout ſuperioris, vel inferioris ſunt ordinis, & in beatitudine maiores. Vnde cùm S. Michael omnium Angelorum ſit ſupremus, & Eccleſiæ Chriſti princeps, & director; ſatis inde liquet quanta myſteriorum ad Eccleſiam pertinentium ſit cognitio, & intelligentia. Ex qua

deinde velut ex fonte copioſiſſimo alijs ſibi inferioribus communicat & diſtribuit.

CAP. XXIII.

De voluntate eius & zelo.

ALtera, quæ omnibus Angelis facultas ineſt, voluntas exiſtit. Quæ quidem ab initio libera illi etiam ad malum fuit, ſicut & Lucifero, & omnibus Spiritibus. Verùm poſtquam immutabili propoſito ad Dei amorem, & cultum ſe conuertit, illi ſubijci volens, & obedire, ſummam eius omni ex parte conſecutus eſt perfectionem; ita vt inter Seraphinos ob excellentiſſimum ardorem ſit primus, & talis eſſe agnoſcatur. Et quia bonæ fuit voluntatis; ideo pax illi eſt cum Deo, & æterna gloria. Et cùm Seraphinis proprium ſit alios ad incendium amoris diuini promouere; in Deum ordinare, & diligendi formam tribuere, id eſt, quod præcipuè prçſtat princeps Archangelus Michael. Neque non liberum adhuc in eo, & bonis Angelis

gelis

gelis remanſit arbitrium (non quidem ad malum, cum id impotentiæ ſit) ſed ad bonum: ita enim per gratiam ſunt confirmati, vt ad malum declinare non poſſint; nempe quia vident Deum per eſſentiam, & ſemper quidquid volunt, vel agunt, ad Deum attendunt.

Voluntati Angelorum tribuitur executio. quando enim Angelus conſiderat certam operationem, & eam efficaciter vult illam perficere in tali loco, tunc fit contactus virtutis eius, & potentiæ, quæ maxima eſt, etiam in minimo Angelo. Sic & in locutione dicitur Angelus inferior ſe ad ſuperiorem conuertere, & velle quod is cognoſcat ſuas intentiones, & volitiones. quod niſi vellet, nullus quantumuis ſuperior Angelus eas videre poſſet: Solius enim id Dei eſt. Illa voluntas metaphoricè dicitur lingua, & locutio interior. vt exponit Viguerius.

millia millionum Angelorum; nempe vt, quot homines in terris, & quot in orbe ſunt rerum ſpecies. Quis ergo poterit, non dico explicare, ſed vel tantillùm intelligere nobilitatem, ſpecioſitatem, magnificentiam, & gloriam ſupremi ordinis illius Angeli. A quo ſi exinde aſcendatur ad alios octo ordines ſuperiores gradatim ſemper addendo maiorem perfectionem; cùm ventum fuerit ad ſupremum Seraphim: Nonne deficiet mens præ ſtupore in contemplatione tantæ nobilitatis, & cum regina Saba, quando in cœleſte illud palatium admiſſa fuerit dicere præ admiratione compelletur: Maior eſt Sapientia, pulchritudo, nobilitas, & magnificentia tua, quam rumor, quem audiui? Atqui is eſt D. Archangelus Michael, vt ſupra oſtenſum fuit; Ita vt quæ Ezechielis c. 28. Lucifero tribuuntur, multò auctiùs in eius de triumphatore Michaele reperiantur; adeò vt dici poſſit perfectiſſimum præ alijs ſpeculum, quo videtur Deus, ſignaculum ſimilitudinis Dei. & vt Sap. 7. ſpeculum ſine macula; quod & alijs bonis Angelis, in quibus nulla culpæ labes, ipſo propugnante vnquam fuit, proportionaliter conuenit. Vnde & Luci comparantur Gen. 1. & ſtellis

CAP. XXIV.

Pulchritudo, excellentia, & nobilitas eius quanta ſit.

EA inde colligitur, quòd minimus Angelorum ſecundùm ſuam naturalem eſſentiam ſit nobilior, & perfectior quacunque anima humana ſecundùm ſuam naturam; ita quòd perfectiſſimus gradus humanæ naturæ (vt docet D. Thom. 1. p. non attingat gradum infimum naturæ angelicæ) in qua & perfectiùs imago, & ſimilitudo Dei reperitur, quàm in vlla cuiuſuis hominis anima. Secundus autem Angelus, omnium ſcilicet, qui in infimo ordine ſunt, penultimus, nobilior illo eſt vno gradu perfectionis eſſentiæ (ſpecie enim ideo omnes inter ſe differunt, iuxta eundem D. Th. nempe ſecundùm diuerſos gradus perfectionis) & non numero tantùm. Et tertius ſecundo etiam vno gradu eiuſmodi eſt excellentior: & ſic ſemper aſcendendo vſque ad ſupremum infimi ordinis Angelorum, in quo ſunt pluſquam millia

millia millionum Angelorum; nempe vt, quot homines in terris, & quot in orbe ſunt rerum ſpecies. Quis ergo poterit, non dico explicare, ſed vel tantillùm intelligere nobilitatem, ſpecioſitatem, magnificentiam, & gloriam ſupremi ordinis illius Angeli. A quo ſi exinde aſcendatur ad alios octo ordines ſuperiores gradatim ſemper addendo maiorem perfectionem; cùm ventum fuerit ad ſupremum Seraphim: Nonne deficiet mens præ ſtupore in contemplatione tantæ nobilitatis, & cum regina Saba, quando in cœleſte illud palatium admiſſa fuerit dicere præ admiratione compelletur: Maior eſt Sapientia, pulchritudo, nobilitas, & magnificentia tua, quam rumor, quem audiui? Atqui is eſt D. Archangelus Michael, vt ſupra oſtenſum fuit; Ita vt quæ Ezechielis c.28. Lucifero tribuuntur, multò auctiùs in eius de triumphatore Michaele reperiantur; adeò vt dici poſſit perfectiſſimum præ alijs ſpeculum, quo videtur Deus, ſignaculum ſimilitudinis Dei. & vt Sap. 7. ſpeculum ſine macula; quod & alijs bonis Angelis, in quibus nulla culpæ labes, ipſo propugnante vnquam fuit, proportionaliter conuenit. Vnde & Luci comparantur Gen. 1. & ſtellis

& ſtellis Iob 38. vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, id eſt, Angeli boni; Item & ſoli. Matth. 13. & lapidibus pretioſis. Ezech. c.28.

Hinc excellentem aliquam gratiam, pulchritudinem aut ſapientiam deſignare volentes, eam angelicam nominare conſueuimus, eſtque mos ille etiam in ſcriptura ſacra 3. Reg. 14. *Sicut enim Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex.* Et de B. Stephano Act. 6. *Viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* & alibi ſimiliter. Ex quibus etiam ratio huc pertinens reddi poteſt cur Angeli in forma iuuenum communiter appareant. Nimirum vt pulchritudo, agilitas, & vis eorum indefatigabilis deſignetur. Æſtimari & inde Angelorum venuſtas poteſt, quod ad vnius aſpectum expauit regina cælorum: Nam turbata eſt in ſermone eius. Luc. 2. Tremuerunt paſtores ibidem. Mulieres ad monumentum territæ fuerunt. Matth. vlt. Ipſe denique Aquila grandis, quæ ſolem iuſtitiæ irreuerberatis oculis potuit intueri, dicens: In principio erat Verbum &c. Ioannes Apoſtolus cecidit ante pedes Angeli ſecum loquentis Apoc. c. vltimo. Neque deſunt magnæ rationes.

Tanta

Tanta eſt enim altitudo maieſtatis diuinæ vt ſibi tales miniſtros, & ſeruitores, delegerit, qui ſine fine abſque medio faciem diuinam, & omne decus proſpiciunt, & ab ea venuſtantur, & creaturam omnem præcellunt. Is ſcilicet, eſt pluſquam Salomon in gloria ſua, cuius habitacula ſeruorum, ordines miniſtrantium &c Regina Saba ſtupebat loco prædicto. Iſti ſunt pueri, in quibus nulla eſt macula, decori forma, & eruditi omni ſapientia, cauti ſcientia, & docti diſciplina, qui ſtare poſſunt in palatio regis, quorum vultus apparuerunt meliores, & pulchriores præ alijs. Dan. 1.

CAP. XXV.

De Æuiternitate eius, & Angelorum.

IN rerum duratione hæc tria diſtinguuntur, Tempus, Æuiternitas, & Æternitas. Æternum enim dicitur, quod habet totum ſuum eſſe ſimul, per quod non habet neque principium, neque finem: id autem eſſe ſoli Deo conuenit, qui ſolus eſt æternus, & æternitas menſura durationis

rationis eius, ſecundùm noſtrum intelligendi modum. Sicut enim menſura æqualis eſt rei, quæ menſuratur, & locus locato; ſic æternitas, quæ eſt duratio infinita, eſt æqualis æterno, quod eſt etiam infinitum.

Æuiternitas eſt menſuratio Angelorum, & ſpiritualium creaturarum, quæ eſſe immateriale, & purè ſpirituale habent, quod & æuiternum dicitur, quia habet quidem principium, ſed non habet finem: neque ſubijcitur per ſe motui continuo, & per conſequens tempori, quod eſt menſura motus. Corpora enim cœleſtia, quæ incorruptibilia ſunt, motui ſubijciuntur, & eorum menſura dicitur tempus, quod eſt in primo mobili ſubiectiuè, & menſurat ipſum intrinſecè; alia autem extrinſecè tantùm. Habet autem principium, & finem. Æuiternitas autem eſt in primo, & nobiliſſimo Angelo, quæ menſurat ipſum intrinſecè, aliorum autem durationem extrinſecè, & fundatur in virtute operandi, ſicut tempus in quantitate apta ad motum. Continet autem tempus diſcretum, quod & habet ſuos annos, menſes, & dies, & inſtantia diſcreta (licet eorum ratio nobis ſit inco-

incognita) quæ menſurant durationem operationum Angelorum. Quælibet enim operatio Angeli monſtratur per inſtans diſcretum, quod licet durare poſſit per inſtans temporis; non tamen ſemper id eſt neceſſe, quia circa vnum conceptum & operationem poteſt quantum vult immemorari: & ſic menſura operationis vnius Angeli, quantumcunque duret, dicitur vnum inſtans. Vnde & tempus vnius, & viginti dierum (de quo 10. Danielis) quo princeps Perſarum reſtitit Gabrieli, in ordine ad Angelum non erat niſi vnum inſtans, & vna operatio. Ex pluribus autem inſtantibus colligitur tempus diſcretum, quo menſurantur plures operationes Angelorum ſibi ſuccedentes. Et quantò plures ſunt operationes, tantò maiori tempore diſcreto menſurantur. Ita Viguerius fol. 24. conformiter D.Thomæ 1. p. q. 10. 63. & alibi. Elicitur autem ex dicta theoria, quod cùm beatiſſimus Archangelus Michael primus omnium & princeps ſit Angelorũ, in ipſo etiam ſubiectiuè ſit æuiternitas, & intrinſecè. Luciferum enim çui ſubiectum non eſſe (licet quidem id putent, eò quod primus Angelorum fuerit, & poſt lapſum

æquè

æquè vniformis in eſſe permanſerit.) rectiùs docet B. Thomas in 2. diſt. 1. quodlibeto 5. art. 6. & opuſc. 36. ca. 5. Cùm enim æuum ſit participatio æternitatis, quod magis eſt in participatione illius, per prius menſuratur æuo. Angelus autem ſupremus beatorum eàm maximè participat, non ſolùm ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundùm viſionem beatificam, quæ magis eſt intranſmutabilis, quàm quodcunque eſſe creatum. Eſſe verò Luciferi quamuis intranſmutabile ſecundùm ſe permanſerit: eſt tamen maximè coniunctum mutabilitati, ac imperfectioni; & propterea inidoneum, vt ſit menſura eorum æuiternorum quæ immutabilitatem habent, & ſecundùm ſe, & ſecundùm operationem perfectiſſimam; vt proinde etiam hæc Luciferi prærogatiua in D. Michaelem tranſijſſe iure merito dicenda ſit. Incœpit autem ea duratio, in eſſe quidem naturæ, & gratiæ à principio mundi corporei, cum quo, vt in Conc. Carthag. 3. dicitur, ſimul Angeli conditi ſunt, & quidem in gratiâ. In eſſe verò gloriæ ſtatim poſt primum inſtans meriti perſeuerans, quando nimirum (malis interim deficientibus Angelis & peccati ſui

pœnam

pœnam accipientibus) ipſi gloriam promeritam conſecuti ſunt.

CAP. XXVI.

De potentia, & virtute eius.

EA attenditur ex eo, quod omnes Angeli ſunt principes, & non ij tantùm, qui de ordine ſunt principatuum iuxta illud pſalmi 109. Vt collocet eum cum principibus populi ſui. Item ex eo quòd potentes ſunt virtute facientes verbum illius Pſ. 102. Potentes enim ſunt virtute tribus modis, quibus virtus accipitur. Primò pro naturali potentia; cuiuſmodi duplex in Angelis, Intellectus, & Voluntas. Quomodo Angeli ſunt plurimùm potentes. In intellectu enim eorum nulla poteſt eſſe falſitas, ſed vis ad intelligendum citiſſima ac tutiſſima, ſine vlla compoſitione, diuiſione, ratiocinatione. Voluntas verò plena eſt, & libera, Deo omnipotenti conformis, ac viuaciſſima. Altero modo potentes virtute dicuntur, virtute pro habitu accepta, ſeu pro fortitudine, quæ ſicut & aliæ virtutes ex gratia

Digitized by Google

in creatione ijs infuſa profluxit; quæve poſtmodum per gratiam beatitudinis plurimùm aucta, & confirmata fuit, iuxta cuiuſque gloriæ, & gratiæ confirmantis gradum, qui in diuo Michaele ſupremus fuit. Et remanent potentes virtute, charitatis ſcilicet, quæ nunquam excidit, & per quam continuè feruntur in Deum actu dilectionis feruentiſſimo. ſecundum illud Pſa. 103. qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem: vel vt alij, flammam ignis. Id quod exemplis oſtendi poſſet in Raphaele, & in illo, qui populum ex Ægypto deduxit. Tertiò potentes virtute dicuntur ſecundùm Antoninum, vt virtus accipiatur pro proprietate vtilis effectus; vt quando herba dicitur habere hanc, vel illam virtutem. Ipſi enim ſunt motores orbium; per eos fiunt miracula. Mittuntur ad vocandum homines ad iudicium; Exibũt, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, exigente hoc diuina prouidentia, quæ inferiora regit per ſuperiora, non quòd ipſa per ſe non poſſit operari totum in omnibus, ſed quia voluit in hoc communicare bonitatem ſuæ virtutis, vt creaturæ cooperarentur & ſub-

ſubſeruiant ei in gubernatione mundi. Angeli præſeruant à malo corporis & animæ, reuocant à vitio, excitant, & promouent in bonum, & reuocant à malo commiſſo, non infundendo gratiam, ſed inſtigando interiùs, illuminando, ſuadendo & dirigendo.

CAP. XXVII.

Ipſum etiam malis Angelis præeſſe.

DIuum Michaelem ſuper malos etiam Angelos prælationem habere docent B. Auguſtinus, B. Gregorius, & alij patres. Ille dum lib. 3. de Trinitate c. 4. dicit Spiritum vitæ deſertorem atque peccatorem regi per Spiritum vitæ rationalem, pium, & iuſtum: Iſte homilia 34. in Euangelia dicens quod poteſtates ſunt Angeli, quorum ditioni virtutes aduerſæ ſubiectæ ſunt. Poteſtatibus enim ipſis, & cunctis Angelorum ordinibus præeſt diuus Archangelus. Rationem verò huius prælationis eam reddit S. Tho. 1. q. 109. artic. 4. quòd totus ordo prȩlationis primò, & prin-

cipaliter eſt in Deo,& participatur à creaturis ſecundum quod Deo magis appropinquant. Illæ enim creaturæ ſuper alias influentias habent, quæ ſunt perfectiores, & Deo propinquiores: Maxima autem perfectio & per quam Deo maximè appropinquatur, eſt creaturarum fruentium Deo, ſicut ſunt ſancti Angeli, qua perfectione dæmones priuantur. & ideo boni Angeli ſuper malos prælationem habent, & hi per eos reguntur. Sicut tamen diuina ſapientia permittit aliqua mala fieri per malos angelos, vel homines propter bona, quæ ex eis elicit; Ita Angeli boni non totaliter cohibent malos ne noceant.

Conſentit S. Antoninus 3. p. tit. 31. c. 5. dicens Angelos bonos habere dominium ſuper dæmones, homines, elementa,& res elementares. In dæmones quidem eorum refrænando malitiam, ne hominibus in corpore, & anima tantùm noceant, quantùm vellent. (vnde Raphael Tob. 8. religauit dæmonium,& Apoc.c.20. Angelus apprehendit draconem ſerpentem antiquum.) & in prælio, quod continuè geritur cum diabolo alacriter nos iuuant, & ſingulariter vnumquemque: Vt cum draco

eo cum ſuis ſatellitibus diſcurrit per campum ſenſualitatis vſque ad campum rationis (vt eſt apud Gregorium in moralibus) tunc ſi conatum adhibet homo ad repellendas prauas ſuggeſtiones dæmonum, & aſſentiendum illuminationibus Angelorum vincit Michael in prælio, & draco in terram proſternitur. In homines verò poteſtatem habent Angeli, malos ſcilicet flagellandi, & puniendi bonos, & malos; veluti in exerçitu regis Sennacherib; In populo regis Dauid, in quo 70. millia peſte perierunt. In Zacharia qui ob incredulitatem ſuam mutus effectus & in alijs permultis. qua ratione ipſi etiam Angeli boni, quandoque in ſcriptura vocantur mali, ab effectu ſcilicet mali pœnæ, ſeu punitionis, quam inferunt.

Sed & in creaturas irrationales poteſtatem habent: Nam Angeli fuerunt, qui in Sodomam, & Gomorrham pluere fecerunt ignem & ſulphur, Gen. 19. Angeli fuerunt, qui mare rubrum, qui Iordanem medium diuiſerunt &c. & tota natura elementaris eſt eis ſubiecta quoad motum localem, ait S. Antoninus. Magna eſt poteſtas Sathanæ, & tanta, cui ſuper terram nulla

poteſtas comparari poſſit;ſed maior nihilominus eſt poteſtas etiam infimi Angeli: quantò amplius omnium ſupremi Michaelis, qui etiam vt fortior Gabrieli in adiutorium venit, & ad cuius ſolam nomenclaturam dæmones perhorreſcunt, vt per exempla ſuis locis poſita demonſtrauimus. Et ſicut diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret; Ita Archangelus Michael tanquam optimus adiutor, & ardentiſſimus ſalutis noſtræ amator, circuit quærens quem liberet. De modo autem regiminis eius, virtutes promouendo, & earum præmia proponendo, iuſtos probando, malos puniendo, iuxta illud: Virga directionis, virga regni tui: & iſtud Domini de ipſo: Non parcet cum peccaueris &c. vt ſuperiùs per ſingula tempora deductum fuit.

CAP.

CAP. XXVIII.

De locutione eius, & Angelorum.

LOquuntur Angeli Deo, ſibiinuicem, & hominibus, vt ex 1. Cor. 13. Iſ. 6. Zachariæ 2. Dan. 8. & alijs. ſcripturæ locis conſtat: ſed non eodem modo. Deo loquuntur vel conſulendo diuinam voluntatem de agendis, vt ab eo doceantur, vel eius excellentiam, quam nunquam comprehendunt, admirando, Sicut Gregorius dicit 2. moral. c. 2. quòd Angeli loquuntur Deo, cùm per hoc, quod ſuper ſemetipſos reſpiciunt, in motum admirationis ſurgunt. Et ita Deo loquebantur Seraphim Iſ. cap. 6. dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum plena eſt omnis terra gloria eius &c. Eſt autem inter locutionem, quæ fit Deum conſulendo, & eam quæ laudando, vel admirando, illud diſcrimen; quòd illa non ſemper, ſed ſolùm tunc fiat, cùm aliquid nouum ab eis agendum occurrit, ſuper quo deſiderant illuminari: iſta autē perpetua ſit, & æterna.

Digitized by Google

Loquuntur verò Angeli ſibiinuicem ſuperiores inferioribus, & inferiores ſuperioribus per hoc, quòd ſua voluntate dirigant & ordinent ſuos conceptus ad alterum, vt ab eo cognoſcantur. Et cùm loquens, audientem vt attendat, excitare debeat, docent theologi ipſam ordinationem conceptus ad alterum, ſeu conceptum ſic ordinatum excitare alium Angelum ad audiendum id, quod alter loquitur: habet enim talis ordinatio virtutem excitatiuam, eo quod faciat conceptum eſſe de pertinentibus ad eum, cui fit locutio. Et hæc eſt virtus Angeli ſuos conceptus manifeſtandi, quam Apoſtolus 1.Cor.13. vt B.Thomas docet, metaphoricè vocat linguam Angelorum. Ita verò excitatio non fit per aliquam efficientiam realem ex parte loquentis (cùm ſolus Deus phyſicè voluntatem & intellectum attingere poſſit) ſed per moralem: dum enim voluntariè dirigit ſuas cogitationes ad alterum, oportet ad naturalem perfectionem angelicæ naturæ, vt Deus, qui operatur in loquente effectiuè alium excitet ad audiendum. Ex quibus vlteriùs conſequens eſt nullam quantamcunque loci diſtantiam locutiones Angelorum

lorum impedire. Cur autem inferiores Angeli cum Superioribus loquuntur, eos per hoc non illuminent; ratio illa eſt, quia illuminatio eſt manifeſtatio alicuius veritatis ſecundùm quod dependet à prima veritate, quæ eſt lux, & regula omnis veritatis. Qua ratione nihil ab Angelo inferiore manifeſtatur ſuperiori, ſed tantùm prout pendet à voluntate eius creata, quæ non eſt lux, aut regula veritatis, ſed participans lucem. Puta, ſi vnus homo dicat alteri, cælum eſt à Deo creatum. Deus eſt omnipotens, locutio erit, & illuminatio. Si verò dicat; volo hoc facere vel iſtud addiſcere, illuminatio non erit, ſed nuda locutio. Non enim pertinet ad perfectionem intellectus alterius, quid tu velis, vel quid tu intelligas, cognoſcere: ſed ſolum quid rei veritas habeat. Quare cum Angeli dicantur ſuperiores vel inferiores per comparationem ad primum principium quod eſt Deus, ideo illuminatio, quæ dependet à principio quod eſt Deus, ſolùm per ſuperiores Angelos, ad inferiores deducitur. Et ideo cum S. Archangelus ipſi Deo ſupra omnes ſit coniunctiſſimus, non alijs loqui tantùm poteſt, ſed & eos omnes illuminat, &

quo-

Digitized by Google

quodammodo omnis eius locutio, illuminatio dici poteſt, propter excellentem ſcilicet, & copioſiſſimam diuinæ lucis in voluntatem eius ac intellectum irradiationem, ratione cuius lux & regula ſecunda cæterorum vocari poſſit.

Porrò hominibus loquuntur Angeli, & locutus legitur ipſe S. Archangelus multis modis, iuxta varias apparitionum eius ſpecies, quas ſupra c. 16. recenſuimus. Cùm enim intellectus hominis in corpore exiſtentis nudam veritatem, vt Angeli, capere non poſſit, ſed ſub ſimilitudine ſenſibilium eam cognoſcat, non eodem modo locutionem angelicam, quo ipſi Angeli, percipere poteſt.

CAP. XXIX.

De ſitu eius, & habitu.

EVm in eodem corporis ſchemate, & lineamentis olim ſanctis Patribus apparuiſſe, in quibus ipſemet Chriſtus in carne venturus erat, quia cap. 16. iam diximus; hîc non repetemus. Situm autem, & habitum eius; in cælo quidem reſpectu Dei, declarat iſtud Apocal. Et omnes Angeli

ſtabant

ſtabant in conſpectu throni, & ceciderunt in facies ſuas. Et illud Iſaiæ dicentis c.6. Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius & duabus velabant pedes eius (vel vt alia lectio, facies ſuas, & pedes ſuos) & duabus volabant. E quibus quidem duobus vnum, eundemq́ue primum fuiſſe D. Michaelem, illum ſcilicet, qui ad prophetam aduolans labia eius calculo ignito purgauit; ex eo probabile fit, quòd cum labia prophetæ ad eum finem purgarentur, vt populo fideli voluntatem diuinam, & ſuperna myſteria, viamq́ue ſalutis idoneè explicaret; ea purgatio illi potiſſimum aſcribenda veniat, qui populi iſtius & curam geſſiſſe præcipuam, & in rebus eiuſmodi grauioribus præſentiam ſuam principibus, & alijs ductoribus, vel rectoribus eius ſæpe exhibuiſſe eoſque docuiſſe, inſtruxiſſe, ac confortaſſe, perhibetur. Velantes autem facies ſuas duabus alis indicabant religionem & reuerentiam ſuam erga Deum, quaſi ſcilicet faciem eius, & maieſtatem intueri non audentes: & quia tamen eum reuereri inex-

inexplebiliter appetunt, ideò quod affectui eorum deeſt, duabus alijs alis id obtegunt: ac deinde duabus alis volant, obedientia ſcilicet, & promptitudine voluntatis ad iuſſa diuina exequenda. Altera verò lectio, Velabant faciem eius & pedes eius, nimirum Dei, ſignificat diuinitatis, & Incarnationis filij Dei myſterium ineffabile, omniq́ue tremore ac reuerentiâ ſemper admirandum; Diuinitatis quidem per faciem; Incarnationis verò, per pedes. Et vtroque iſto ſenſu docet nos ſpiritualis ille habitus Angelorũ, quanta cum animi dimiſſione, tremore ac reuerentia Deum orare, eiuſque laudibus intereſſe debeamus. Vide ſupra de eadem ſcriptura c. 10. Notat verò B. Hieron. in hunc locum, ex eo, quod dicatur, Seraphim ſtabant ſuper illud; malè à quibuſdam ijs terminis orari, Deus, qui ſedes ſuper Cherubim, & Seraphim, cum ſcriptura de Seraphim hoc non dicat.

In terris porro vidit eum Ioſue c. 5. in habitu viri ſtantis contra ſe, euaginatum tenentem gladium. Apparuit Zachariæ prophetæ tanquam aſcendens equum ru-

ſum,

ſum, & ſtans inter myrteta; cuius apparitionis ſignificationem alibi dedimus. 2. Machab. 3. Heliodoro apparuit vt terribilis ſeſſor ſuper equum rufum optimis operimentis adornatum. Et Marciano templi eius cærifero ſimiliter viſus eſt in forma equitis terribilis è cælo deſcendentis, qui poſtea cum ex equo deſcendiſſet in purpureo, quod illic erat, marmore, ingreſſus eſt templum plurimis ſtipatus, tanquam præpoſiti veſte indutus: & templum impletum eſt odore ineffabili &c. vide ſuperiùs. De alio mirabili habitu ſcribit Daniel. c. 10. Vidi, inquit, & ecce vir vnus veſtitus lineis & renes eius accincti auro obrizo; & corpus eius quaſi Chryſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis &c. Eum autem habitum D. Bonauentura parte 3. c. 2. de Eccleſ. Hierarchia tribuit Michaeli allegans gloſſam ſuper illud; vir veſtitus lineis &c. Michaelem enim in adiutorium ſuum veniſſe ibidem teſtatur Gabriel, & velut de re magna & miranda admodum loquens: Et ecce, inquit, Michael

chael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum; vt rectè ille idem intelligatur qui ante in ſpecie adeo mirabili & variâ ſubitò ei apparuerat.

CAP. XXX.

De perpetuo eius prælio.

DE prælio eius contra Luciferum pro gloria Dei, & de prælij eiuſdem in fine ſæculi contra Antichriſtum, & ipſum Luciferum conſummatione iam ante dictum eſt. Verùm & illud certò ac veraciter dici poteſt idem prælium ſemper in Eccleſia continuari, ac perpetuò vſque ad finem ſæculi continuandum. Sicut enim diabolus in Deum ipſum nihil ſe poſſe comperiens, in imaginem eius, id eſt, in hominem per ſe, ſuoſque ſemper deſæuijt, & bella perpetua inſtruxit; ſicut terram ipſe circuit, & perambulat Iob 1. & tanquam Leo rugiens quærit quem deuoret 1. Petri 5. tanquam leo quidem propter maximam eius fortitudinem ac ſæuitiam; rugiens verò, propter inexplebilem eius damnationis noſtræ

noſtræ appetitum. Ita è diuerſo S. Michael per ſe, ſuoſque pro nobis ſtare ac præliari ob inſatiabile gloriæ Dei, & ſalutis noſtræ deſiderium, non deſiſtit. Et ſicut diaboli multiplices contra hominem ſunt tentationes, quas apud Cyprianum ſerm. 1. de zelo, & vigore iſtum B. Petri locum allegantem pulchrè explicatas videre eſt: ita D. Michaelis non pauciores, ſed multò plures ac potentiores ſunt ad benè agendum & à malo abſtinendum opitulationes. Vnde Heliſæus ad famulum ſuum 4. Reg. c. 6. Noli, inquit, timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. & Iacob. Gen. 32. Caſtra Dei ſunt hęc, ſcilicet Angelorum: Et ipſa Eccleſia in officio eius in miſſa poſt graduale: Sancte Michael Archangele defende nos in pręlio, ne pereamus in tremẽdo iudicio. Conſentit Ardens in homilia de S. Michaele exponens illud Apocal. 12. Factum eſt prælium magnum in cælo &c. Dicens prælium illud quotidie fieri, prælium, id eſt, certamen inuiſibile, quod habent boni ſpiritus aduerſus malos, & contra, pro acquiſitione hominum. Et frater Claudius de monte Martyrum in c. 12. Apoc. Prælium hoc, inquit, factum eſt in

cælo,

cælo, id eſt, Eccleſia militante perpetua lu-ƈta, indeficienſque prælium inter pios, & impios, electos, & reprobos. Diuerſi autem illis ſunt adiutores Michael, & draco &c. Angeli autem Michaelis non modò cæleſtes ſunt, ſed etiam omnes homines ſynceré verbum Dei prędicantes. Et è regione mendaces prophetæ, mundi principes, & quotquot ſunt, impoſtores, Angeli ſunt draconis. Noſtrum igitur certamen, & prę-lium contradictio eſt, diuerſa ſtudia, voluntates, & opera &c. Hæc ille. Sed etiam ipſe S. Ioannes cap. iſto 12. Apoc. ſatis indicat ſe de prælio loqui quod in Eccleſia militante continuò vſque dum in fine conſummetur, peragitur; per ea nimirum, quæ de muliere amicta ſole, quæ clamabat parturiens; (id eſt, de Eccleſia) & de dracone partui eius ad eum deuorandum inſidiante; ibidem præmittit. Vnde & Petrus de Natalibus lib. 4. c. 40. inter alias eius celebriores ac notiores contra draconem, & Antichriſtum victorias, quartam, eamque velut perpetuam recenſet, quam ipſe S. Michael, & Angeli eius quotidie de dæmonibus obtinent: dum pro nobis pugnantes, ab eorum tentatione nos liberant. Hoc

autem,

Digitized by Google

autem, inquit, tripliciter faciunt: primò poteſtatem dæmonum refrænando. Figura Apoc.20. de Angelo, qui dæmonem ligauit, & in abyſſum miſit. Secundò concupiſcentiam refrigerando. Figura Gen.32. vbi Angelus tetigit neruum femoris Iacob; & ſtatim emarcuit. 3. memoriam paſſionis mentibus imprimendo. Figura Apoc.7.de Angelo aſcendente ab ortu ſolis habente ſignum Dei viui, id eſt, memoriam crucis: & infra: Nolite nocere terræ, & mari &c: quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus, id eſt, in mentibus eorum. Quomodo autem contra perpetuum hoc prælium non ſit quod Apoc. c. 20. dicitur, Sathanam ligatum, & miſſum in abyſſum, & clauſum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: ratio eſt, quam & alibi inſinuauimus. quia illis verbis id ſolum figuratè ſignificatur, quod diaboli poteſtas per aduentum Chriſti cohibenda fuerit, ac reſtringenda vſque ad finem ſæculi, quo appropinquante rurſus ſoluendus ſit relaxatione poteſtatis, quando per Antichriſtum, eiuſque miniſtros de integro tanquam inſtauratis viribus oppugnabit. Non tamen interea temporis ceſſat

ab hominibus tentandis, ſed tantum tentat, quantùm permittitur.

CAP. XXXI.

De officio feſti eius, & colore paramentorum.

ECcleſia Angelis congaudendo ſtatim in ipſo introitu exultabunda dicit: Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius ad audiendam vocem ſermonum eius. Et quia Angeli laudant; idcirco & nos eorum exemplo, & in ijs Deum laudare debemus. Vnde ſequitur verſus: Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Epiſtola verò ex Apoc. c. 1. ſumitur: Significauit Dominus quæ oportet fieri citò &c. ſequitur ibi: Ioannes ſeptem Eccleſijs quæ ſunt in Aſia, gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, &, qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt &c. Per ſeptem Eccleſias, vel per ſeptem ſpiritus, quantum ad intelligẽtiam,

quæ

quæ ad diem hanc pertinet, vniuerſitas Angelorum intelligitur, inquit Durandus in rationali diuinorum lib.7.c.12. per ſeptem enim dies currit vita præſens. Sed æquè fortè, vel magis probabiliter quoad ſenſum huic feſto accommodatum dictum fuerit, per ſeptem Eccleſias deſignari vniuerſitatem fidelium Eccleſiæ Chriſti, quibus S. Ioannes gratiam, & pacem impertiatur à Deo, & à ſeptem Spiritibus, id eſt, quoad intelligentiam huius diei, ab Angelis omnibus beatis tanquam à diuinæ maieſtatis aſſeſſoribus, & amicis, per quos nimirum & hæc inferiora, iuxta ſacram theologiam, reguntur & gratiarum diuina chariſmata deſurſum à patre luminum in Eccleſiam Chriſti deſcendunt. Sed de his plura ſuperius c. 22. Sequitur deinde in officio Reſponſorium: Benedicite, & Verſus: Benedic, eâdem ratione, quâ ſupra. Alleluya eſt: In conſpectu Angelorum pſallam tibi: hoc autem ideo dicit Eccleſia, quia parati ſunt Angeli deferre Deo orationes noſtras: Semper enim nobis adſunt, & aſpiciunt nos, & auſcultant. Vnde in canticis: Quæ habitas in hortis, amici, id eſt, Angeli, auſcultant te: Fac

me audire vocem tuam. Et iſtos, ſcilicet bonos Angelos, compaſſio; malos verò, vt nos reſpiciant, & auſcultent paſſio cogit inuidiæ. Sequitur Euangelium: Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum &c. Matthæi 18. in quo præcipitur vitari ſcandalum paruulorum, quia ibi fit mentio de Angelis: Amen dico vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. Quia verò parati ſunt deferre orationes noſtras; in offertorio oſtenditur: Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua; & data ſunt ei incenſa multa, id eſt, orationes accenſæ igne charitatis: & aſcendit fumus aromatum, id eſt, oratio, in conſpectu Dei de manu Angeli. In poſtcommunione verò placuit Eccleſiæ, ſicut prius, benedicite. Vnde dicitur in quibuſdam Eccleſijs: Benedicite omnes Angeli Dominum &c. Capitulum ad Laudes, & vtraſque Veſperas ſumitur ex Apoc. cap. 1. Significauit. & illud: Beatus qui legit &c. Hæc Durandus, qui etiam per pugnam S. Michaelis cum dracone allegoricè intelligi dicit pugnam Michaelis, id eſt, Chriſti Domini cum eodem dracone mundi principe.

cipe. Prima ante epiſtolam collecta eſt ad Deum de omnibus generaliter Angelis, & ſumpta eſt, vt ſupra ex Eſtio indicauimus, ex Euangelio diei. Poſtcommunio verò ſpecialiter eſt de S. Michaele, vt eius interceſſione ſuffulti, quod ore proſequimur, contingamus & mente. Alleluya quoque poſt graduale in vſu Romano, ſpecialiter ad ipſum tale eſt: Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, vt non pereamus in tremendo iudicio &c.

Ad colorem paramentorum quòd attinet, conuenienter Eccleſia in Feſtiuitatibus Angelorum, album aſſumit. Cùm enim ſint quatuor principales colores, quorum pro varietate dierum in Eccleſia vſus eſt, albus, rubeus, niger, & viridis, ad quos alij quidem minus principales reducuntur: Rubeus tanquam color Sanguineus, Martyrum feſtis celebrandis conuenit: Niger, vt ſignum tribulationis & mœſtitiæ, iuxta illud Cantic. Nigra ſum ſed formoſa; diebus afflictionis, & pœnitentiæ. Viridis vt medius inter albedinem, nigredinem, & rubedinem, regulariter diebus ferialibus, in quibus ſpecialis ratio temporis, aut officij non occurrit. Albus verò, vt

candoris,ac innocentiæ index, meritò ſicut Confeſſorum & Virginum non Martyrum, ita & Angelorum deputatur officijs,de quorum candore dicebat Dominus Lucifero: Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei? Iob 38. & S. Matthæus c. 28. de Angelo dicit: Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur,& veſtimentum eius ſicut nix. & S. Marcus c. 16. quod coopertus eſſet ſtola candida. & S. Lucas Act. c. 1. Ecce, inquit, duo viri, id eſt, Angelis, aſtiterunt, iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi qui ſtatis &c. Sed & Danieli apparuit Angelus in forma viri veſtiti lineis libri eius c. 10. & huc quoque faciunt, quæ de S. Michaelis pictura diximus cap. 18.

CAP. XXXII.

D. Michaelem eſſe vnam ex quadrigis verbi incarnati.

IN ſacro Salomonis regis Epithalamio Pſalm. 44. v. 4. & 5. regius eius contra hoſtes apparatus, & aſcenſus ita deſcribitur: Accingere gladio tuo ſuper &c. Specie tua, & pulchritudine tua intende: proſperè procede & regna: Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Et regna. Verbum originale propriè ſignificat aſcendere, cum quo proſperitatem vocis præcedentis aduerbialiter iunxit Hieronymus, proſperè aſcende. Eſt verò is aſcenſus more inequitantis ſuper iumentum, aut ſuper currum; quæ eſt frequentiſſima verbi aſcendendi in ſacro ſermone vſurpatio; ſicut ſcriptum eſt, Equum, & aſcenſorem deiecit in mare: Aſcenſor cæli auxiliator tuus, Exod. 15. Deut. 33. & cum Dominus populo ſuo terræ imperium pollicetur; ſuſtollam te, inquit, ſuper altitudinem terræ. Iſ.

58. propriè, aſcendere te faciam more inequitantis ſuper terram, vt fræno circunducas regiones, vt ad nutum adinſtar equi docilis tibi pareant. Quare eleganter pro verbo aſcendendi 70. dixerunt; Regna, id eſt, ſuperior eſto, frænum, & clauum habeas populorum. vel ſi cum re bellica, & triumphatoria, quam ſemel cœpit, coniungere velis, rectè etiam cohæret; Age, regalem equum, vel (pro more illius regionis) currum regium conſcende, & hoſtibus tuis obuiam pergens in eos irrumpe, & conferta agmina peruade. Nam morem fuiſſe, vt reges curribus vecti prelia inirent, liquet ex 3. Reg. c. 22. Quis autem ſit regius ille currus, aut quæ quadriga, ſtatim ſubiungitur. Propter veritatem, & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Vbi pro particula, propter, in originali eſt Ghal, ſuper, & ita etiam legit Chaldæus: nam cùm ante regem propheta inuitaſſet, vt regiam, ac bellicam quadrigam aſcenderet, mox quæ ſit illa quadriga, ex quatuor primarijs virtutibus deſcribit, ſcilicet veritate, manſuetudine, iuſtitia, & quæ deinceps ſequitur, dexteritate, ſeu robore, & fortitudine dextræ. Quæ omnia, vt regni

Salo-

Salomonis initijs conuenire potuerunt; meliùs tamen, ac multò perfectiùs in illum conueniunt, qui ipſa veritas, & iuſtitia eſt, & de cuius triumphali illa quadriga Pſa. 84. dicitur: Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi (id eſt, concurrerunt ſimul eodem itinere, & eadem diuini currus vectatione) iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, Chaldæus, coniunctæ ſunt, coniugatæ, ſub vnum iugum vinctæ: id enim propriè ſignificat verbum originale oſculandi, & de eadem quoque iſtarum virtutum coniugatione habetur Pſ. 88. v. 4. & 5.

Sed & cum his virtutũ diuinarum quadrigis, quibus rex ſponſus Eccleſiæ vehitur, illud facit, quod ex veterum arcana, & antiqua traditione refert vir non vulgaris doctrinæ Bartholomæus Valuerdius comment. 1. in Salomonis Alphabetum, ſuper id, Byſſus, & purpura indumentum eius: Nomen purpuræ, flammantis nimirum atque igniſcentis, rectè poſſe in Angelos conuenire, qui cùm ſint miniſtri Dei, facit illos flammam ignis. Rurſus ignitos hos miniſtros eſſe quadrigas currus gloriæ Dei; qui ipſi ſunt equi ignei. 4. Reg. 2. 11. & 6. 17. Purpuram verò dici ipſam quadrigam

ſponſi,

ſponſi, colligitur ex Cantic. 3. in deſcriptione ferculi Salomonis: Aſcenſum eius fecit purpureum; quod Rabbi innominatus apud Genebrardum vertit currum purpureum, & eadem ratione vertere poſſet quadrigam: eſt enim idem originale nomen quadrigæ & currus, ſicut & Pſal. 103. Ponis nubem aſcenſum tuum, vel vt plerique legunt, currum tuum. Frgo currus pro quadrigis: Currus autem vel quadrigæ purpureæ ſunt Angeli iſti igniti, & ſcintillantes. Et hinc iam illa traditio nomen originale purpuræ, quod bis tantum in ſcriptura legitur, Arganam, conſtare quatuor literis, quæ ſunt initiales quatuor Angelorum vehentium currum gloriæ Dei: videlicet R. Raphael. G. Gabriel. M. Michael. N. Nuriel, qui idem eſt Vriel. Et opportunè ſanè hi miniſtri præ cæteris ſponſi, id eſt, Dei hominis currunt vehunt, & myſterium Incarnationis celebrant: Nam primùm quidem Gabrielis ipſa nomenclatura, vt Proculus exponit, Dei fortitudinem cum noſtra infirmitate coniunctam repræſentat. Gabriel enim eſt idem, quod fortitudo Dei, ſiue, vt idem Proculus ait, & refertur in Conc. Epheſino tom. 6. c. 7. Gabriel

briel idem eſt, quod vir, ſeu homo Deus. Michael verò quin peculiari quodam officio Deo incarnato ſeruiat, cùm incarnatio propter Eccleſiam, cuius ipſe cuſtos eſt, & princeps, facta ſit, dubitari non poteſt: imo hoc ipſum peculiaribus ſignis & miraculis Deum oſtendere voluiſſe, meritò credendum eſt; quando nimirum cruci Argenteæ miraculoſæ tres imagines inſculptæ nulla humana arte apparuerunt, Media Emmanuelis, duæ laterales aliæ, Michaelis & Gabrielis, de quibus ſupra, lib. 3. ex geſtis S. Procopij, & refertur in Synodo Epheſ. Act. 4. Item quando ipſe D. Michael inter ſex alas, quas ſibi formauerat, D. Franciſco in monte Aluerni crucifixi effigiem exhibuit, & Chriſti ſacra ſtygmata corpori eius impreſſit, in ſignum, & argumentum quod in crucis myſterio mortalium cordibus imprimendo ſingulariter Chriſto ſeruiat & cooperetur. Vnde & à SS. Apoſtolis, alijſque huius myſterij per orbem præconibus eius opem peculiariter inuocatam ſemper fuiſſe, ante varijs in locis oſtendimus; Addique etiam poteſt, quod nonnulli dixerunt Luciferum ſuperbam inuidiam ſuam ex præuiſa filij Dei incarnatione conceпiſſe,

cepiſſe, indeq; ſe illi æquiparaſſe, vel etiam prætuliſſe, ac homini inuidiſſe: Cum è contra S. Michael ad honoris diuini, & ſanctiſſimi huius myſterij propugnationem ei ſeſe oppoſuerit, ac fortiter reſtiterit, vt proinde non tantùm myſterio incarnationis iam facto, ſed etiam non facto ab initio, & deinceps aduigilaſſe, ad illudq́ue pro viribus adlaboraſſe.

Tertius Angelus eſt Raphael, quod ſonat medicina, aut venia ignoſcentis Dei.

Quartus Nuriel, ſiue Vriel, quod ſonat lumen ſiue ignis Dei. Hæ profecto quadrigæ videntur reſpondere quatuor virtutibus, ſeu attributis regis ſponſi Dei hominis vehentibus currum gloriæ eius. Michael iuſtitiæ, ſiue ſanctitati; Gabriel virtuti terrificæ dextræ; Raphael manſuetudini & clementiæ; Vriel veritati & doctrinæ: de quibus dictum eſt ſponſo: Regna, aſcende, inequita ſuper veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam; & cum his tribus deducet te etiam quarta quadriga propriæ virtutis, & dexteritatis; ſicut ſcriptum eſt, Saluauit ſibi dextera eius, & brachium Sanctum eius.

CAP.

CAP. XXXIV.

Beneficiorum, ac officiorum, quæ S. Michael, & Angeli eius nobis, & circa nos exhibent, breuis collectio.

SAnctus Michael, & Angeli eius propter ſeptem generales ac præcipuas rationes nobis colendi, ac honorandi ſunt. Primò, quia ſunt cuſtodes noſtri. Effectus autem cuſtodiæ angelicæ triplex in homine conſideratur. Primus eſt, vt proficiat in anima in bonum gratiæ. & hoc facit Angelus tripliciter. Primo omne impedimentum ad bonum remouendo. Figura Exod. 13. vbi Angelus occidit primogenita Ægypti, Secundò pigritiam excitando. Figura Zach. 4. Angelus Domini excitauit me quaſi virum, qui ſuſcitatur à ſomno ſuo. Tertiò in viam pœnitentiæ ducendo, & reducendo. Figura Tobiæ 5. in Angelo, qui eum duxit, & reduxit.

Secundus effectus eſt, vt anima non cadat in malum culpæ. Et hoc facit Angelus tribus modis. Primò impediendo peccatum

tum futurum ne fiat. Figura Num. 2. in Balaam, qui ad maledicendum Iſrael pergẽs, ab Angelo impeditus eſt. Secundò, increpando præteritum, vt ab eo quis recedat. Figura Gen. 2. cum Angelus filios Iſrael de præuaricatione increpaſſet; ipſi eleuarunt vocem &c. Tertiò, quaſi violentiam inferendo, vt à præſenti eripiat. Figura in violẽtia eductionis Loth ex Sodomis Gen. 19.

Tertius effectus eſt, quod ſi anima cadat, poſtmodum reſurgat. Et hoc facit etiam tribus modis. Primò mouendo cor ad contritionem. Figura Tob. 11. vbi Tobias iunior ad documentum Angeli de felle, per quod intelligitur contritionis amaritudo, liniuit patris oculos; myſticè cordis. Secundò, purgando labia ad confeſſionem. Figura Iſ. 6. vbi per Angelum labia Iſaiæ purgantur. Tertiò, congaudendo ad ſatisfactionem Luc. 15. Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente &c.

Secundò debemus eos honorare, quia ſunt miniſtratores noſtræ ſalutis. ad Heb. 1. Hoc enim competit, & bonitati diuinæ, & charitati angelicæ, & indigẽtiæ noſtræ. Mittuntur autem Angeli ad inflammandum

affe-

affectum ad dilectionem. Vnde in huius figura leguntur miſſi in curru igneo 4. Reg. 6. & Iſaiæ 6. Seraph mittitur cum calculo ignito. 2. ad illuminandum intellectum ad cognitionem. Figura Apoc. 10. in Angelo, qui habebat librum apertum in manu ſua. Tertiò ad corroborandum nos vſque in perfectionem. Figura 3. Reg. 19. Helia Propheta qui in fortitudine cibi, & potus angelici ambulauit vſq; ad montem Dei Horeb.

Tertiò, honorandi ſunt, quia ſunt fratres, & conciues noſtri: omnes enim electi aſſumuntur ad ordines Angelorum, vt apud SS. Patres, & in ſcholis receptum eſt.

Quartò, quia ſunt animarum noſtrarum in cælum portitores. Et hoc faciunt triplici modo. Primo viam præparando. Malachiæ 2. Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam &c. Secundò per viam præparatam in cælum baiulando. Exo. 24. Ecce ego mitto Angelum meum, qui cuſtodiet te in via, & inducet in terram, quam promiſi patribus tuis. Tertiò, in cælo collocando: exemplum Luc. 15. in Lazaro.

Quintò, quia ſunt orationum noſtrarum ante Deum præſentatores. Tob. 12. Act. 10. & ibidem pro nobis allegant, & orant.

Zach.

Zach. 1. Et Dei ſententiam & gratiam nobis renunciant. Dan. 9.

Sextò ſunt honorandi, quia ſunt regis æterni nobiliſſimi milites, & hoc ad laudem Dei & præſidium noſtrum. Iob 25. Gen. 32. Apoc. 8. 12. & alibi ſæpe.

Septimò denique ſunt honorandi, quia ſunt tribulatorum conſolatores. Zach. 1: & hoc faciunt 3. modis. Primò confortando, & roborando. Dan. 11. Cum Daniel corruiſſet, tetigit eum Angelus dicens, Noli timere, pax tibi, confortare & eſto robuſtus. & Gen. 32. Angelus confortauit Iacob, & Gedeonē. Iudic. 6. Secundo ab impatientia præſeruando. Pſ. 90. In manibus portabunt te, &c. Tertio ipsā tribulationē refrigerando & minuendo. Figura Dan. 3. vbi Angelus Domini cum 3. pueris deſcēdit in fornacē, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantē. Atque hæc ſunt in genere præcipua beneficiorū erga nos Angelorum capita, & gratitudinis noſtræ erga illos tituli; ex quorū tamē decurſu ſatis intelligi poteſt, quam præeminēter ea omnia in D. Archangelum comperant, qui figuras pleraſq; omnes nūc citatas & in perſona ſua olim exhibuit & res ſignificatas ſingulariùs nunc exhibet.

CAP. XXXV.

De cultu eius in monte Malea.

COncludere hunc librum poterit, quod poſt cætera occurrit de nomine & cultu eius in monte Malea in hiſtoria, cuius gallicè titulus: Les paſſages d'Oultremer faicts par les François, impreſſa Pariſijs anno milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, authore Sebaſtiano Mamerot Cantore & Canonico Eccleſiæ Sancti Stephani Trecenſis in Gallia, vbi Hiſtoricus: Malea, inquit, mons eſt aſperrimus quinquaginta millibus paſſuum, tali rigore in mare ſe extendens, vt contra naues iſtorſum aduentantes armatum mare videatur, eaſque reijciat. Neceſſe eſt autem vt nauigantes per Macedoniam in Græciam, Achaiam & Moream nauigare volentes, per cornu vnum tranſeant huius montis Malea, qui ex mari excreſcit, ad littuſque vſque aſcendit, in cuius ſummitate tam ęſtate quam hyeme nix iacet, tantique venti in illo conſpirant, vt

mare valde confundant, & nauigationem omnem admodum periculoſam ac difficilem reddant: ac inde eſt, quòd naues interdum circa loca illa ad tres quatuorve menſes à tranſmeatu retardentur. Eſt autem mons ille Malea nominatus ex nomine regis cuiuſdam Maleo regis Tireneorum, qui tubas æreas primus inuenit, & in montibus & in hoc inter cæteros habitauit, crudeliſque pirata in mari fuit, valdeq́ue illud infeſtabat. In hoc monte templum ædificauit Apollini, ſuoq́ue ex nomine illum appellauit. De quo & Calepinus ex diuerſis authoribus: Malea, inquit, Promontorium Laconiæ, quod per quinquaginta millia paſſuum in mare protenditur, vbi periculoſa eſt nauigatio propter aduerſos ventorum flatus: vnde prouerbium: Cùm ad Maleam deflexeris, domeſticos obliuiſcere. & Stat. lib. 7. Theb. Raucæ circũſonat ira Maleæ, Dicta Malea à Maleo Argiuorum rege, qui in ea templum pulchrum extruxit &c. A longo autem tempore, pergit hæc hiſtoria, deſtructum fuit templum Apollinis, & ædificata fuit Eccleſia S. Michaelis, & vulgus popularis vocat cornu illud, gallicè, Belle S. Michel.

Michel. Falsò autem opinantur ſanctum Michaelem ventos excitare & naues repellere quando vult, ideoque nauigantes in Malea vota ac promiſſa illi offerunt, vt illi alam ſuam retrahere & ventos ſedare placeat vſque dum tranſierint. Hæc ibi, ex quibus etiam & alijs multis notare eſt, quàm antiquus & generalis ſit per terras & maria ſancti Archangeli cultus, quodque paulatim falſorum deorum templa & promontoria nominum eorum ac imaginum in nomina ac imagines Sanctorum veri Dei, ac præſertim S. Michaelis tranſmutatione reformata ac Chriſtianizata fuerint. Vnde etiam tam frequenter, & ab antiquo ad templa, promontoria, ad frontiſpicia templorum & eiuſmodi vel dijs olim, vel Chriſto Domino poſtmodum dicatorum ſacrorum locorum nomen & imago S. Archangeli Michaelis.

LIBER SEXTVS.

ENCOMIVM S. MICHAELIS Archang. olim à puero declamatum, pòſt recognitum.

ME tremor, & totos dudum ſtupor occupat artus,
Verbaque conantem, medijs in faucibus arctum
Deſerit eloquium nec vox benè ſurgit ad auras:
Nempe quòd humanis ſemper cui dedita rebus
Mens fuit, atque ea, quæ rapido ſub ſole volutant
Noſcere: ſuſpenſa nunc conſuetudine rerum
Ordo meique facit reuerentia ſumma patroni
In cælum transferre animos, quęq; ęthera, quęq;
Sidera demiſſo ſpectant cryſtallina vultu.
Chriſte parens læto, qui comples omnia vultu,
Si te pura mouet pietas, ſi caſta tuorum
Vita miniſtrorum fragiles non paſſa labores
Terrigenûm, nec circumſtantibus acta periclis;
Si nitor, Angelicæque placent ad ſiſtra coronæ:
Digna polo, & diuis mihi nunc modulamina Pande.
Quique micat cælo, terrenâ laude Michael

Ful-

Fulgeat, & cunctis dignè celebretur in oris.
Primus adhuc rerum prodibat terminus; ipſa
Hîc tellus, ibi cœleſtes ex ordine cætus:
Lucifer inſanâ quando ambitione ſupremum
Imperium ac ſedem metuendi Numinis arſit:
Traxit & in ſocium mille, & millena furorem.
Non impunè tamen: ſtetit alto robore nigras
Contra acies primâ fælix virtute Michael
Spiritibuſq. feris, barathrũ quos victor in ipſum
Præcipites dedit, horrẽtem vacuauit Olympum:
Victorique decus firmatum, & gratia ceſsit,
Gratia qua fortis, qua ſemper fortia geſsit
Atque geret. Quoties etenim quid robore forti
Patratum legitur priſcorum tempore patrum,
Principis ad tanti laudem, meritumque refertur.
Ille eſt eiecti ſincerus tutor Adami
Primigenæ, quem dura pati, terræque labores
Edocuit, Spiraſque feri vitare colubri.
Ille eſt Iſaaci tremulo, qui à gutture ſacrum
Continuit ferrum, clamans ſatis eſſe fidelem
Conatum, & magni geminans promiſſa Tonãtis.
Quid referam? ſtabant opera ad ſeruilia triſtes
Iſacidæ pœnas edictaque ſæua gementes
Rege ſub obduro, & Nilum in mœrore bibebãt,
Terribiles donec vindex Archangelus arce
Stellifera veniens Pharijs res fecit in oris,
Ægyptum denis adigens infrendere plagis,
Et denas vlulare vices, & ſpargere luctus,
Quique reſiſtebant, modo nunc Hebraica paſsim
Agmina demigrare iubent precioſaque ferre
Cuncta ſinunt, aurum phialas, gazaſq; tumẽtes.

Nudauit Pelagi fundum ſiccoque fidelem
Veſtigio inter eas populum conduxit abyſſos,
Muniuitque viam, & montes frænauit aquarum,
Ac regem inuoluit, curruſque, arceſque miniſtras
Illæſo ſemper populo, cui feruida certam
Per deſerta viam regna ad promiſſa prophanis
Gentibus eiectis pariter, cæſiſque parauit.
Hic eſt qui vati falſo fuit obuius, atque
Vocem aſinæ finxit, docuitque timere furetem,
Hic te cornigero fulgentem vertice Vates
Eductor viuum texit, ſæuiſque periclis
Extulit: hic ſanctum contra altercante cadauer
Dæmone, ſecreto tumulo vi maior humauit.
Poſteritas ne forte memor perquirere vellet
Proque Deo coleret, nimioque erraret amore.
Hic ille eſt Princeps Domini, qui Caſtra regebat
Exertoque ſtetit gladio Ierichuntis ad vrbem,
Ioſue quam primam tunc obſidione premebat
Nudauitque pedes, terræque rependit honorem
Admonitus: tanto nimium belli duce gaudens.
Hic Goliath ſtrauit ſęuum, immanemque gigantem
In faciem vt caderet miſer, à tergoque feriuit.
Hic ſubijtque lacum, compreſsit & ora leonum
Intrepidus vates Daniel ne damna ſubiret,
Intulit atque cibos, Abacucque per aëra vexit,
Treſque puero ſque rogo ſocians pia carmina dixit.
Vltus & hic eſt Sennacherib blaſphemaq; verba
Nocte vna perimens centum, octogenaq; quinq;
Millia, præcipites alios fuga cæca remiſit.

Scilicet

Scilicet hoc Typicæ viguerunt ſęcula legis
Principe, prępualuitque ſuo Synagoga periclis
Tempore, Perſarum ſoluit clementia captos
Concidit Antiochus. Machabęis reddidit arma,
Arma, quibus templi cultus renouatus in ortum
Meſsiæ vero priſcas ſubmitteret agno
Moſaicas vmbras, ac tum Synagoga figuras
Cedens Angelico ſine Principe, nomen inane
Diſperſis tantum verpis per ſæcla teneret.
Nam ritus poſt Hebræos Eccleſia viuax
Quæ totum ſine miſsilibus, iaculiſque per orbem
Fuſa, ſtupendarum paſsim miracula rerum
Ædidit, Archiducem, & primatem agnoſcit eundem,
Cuſtodemque ſuum, & vitæ, paciſque datorem
Prædicat, ęternoque eius moderamine perſtat,
Quod quàm ſuaue ſit, & dulci chariſmate plenũ
Iuſtum, æquumque loqui cuius facundia poſsit?
Plurima prætereo primæ myſteria vitæ.
Ille eſt, orantem Chriſtum, cùm ſanguinis inſtar
Deflueret ſudor, qui lenijt, atque dolorem
Depulit, atque hominem verbis animauit amicis,
Terruit ad tumulum cuſtodes, vtque triumphãs
Exilijt Chriſtus, dirum Cacodæmona priſcum
Serpentem. qui tot ſæclis (miſerabile dictu)
Immanis Princeps mundum ſibi ſtrauerat: almæ
Vexillo crucis edomitumque, foraſque repulſum
Deſcendens cælo, & clauem trepidantis abyſsi
Oſtentans, magnamque manu radiante cathenam
Mille per annorum Soles religauit, & atram
In ſtyga præcipitem dedit, occluſitque fideles

Ne ſeducat oues Chriſti, nimiùmque tenellum
Exagitet ſacro renouatum fonte popellum.
Ille eſt qui Petro ſanctum cui paſcere cætum
Tradita cura fuit, vinclis Herode iubente
Innexo (mortis properæ ceu hoſtia damnas
Certa foret) mox aſtitit: & validè reſolutis
Compedibus, tetro ſaluum de carcere duxit.
Ipſum autem Herodem certo poſt tēpore, diuos
Dū capit applauſus, Domino neq; reddit honorē,
Percutit, ille animā conſumptus vermibus halat.
Quin & Apoſtolicos Patres, qui numine Chriſti
Diuiſi, mundo diuinum dogma tulerunt
Concomitans; pedibus fecit fœlicibus ire,
In tenebris lucem, nebulamque tetendit in æſtu.
Hoc ſine nec Pauli facta eſt conuerſio, magnas
Eius & ærumnas minuit, roburque rependit.
Vtque manu breuiore atros in ouile ſacratum
Duceret Æthiopas, Candaces temporis eius
Reginæ Eunuchum, currum aſcēdente Philippo
Erudijt, fuit is ſacro baptiſmate tinctus,
Et mox aërea auexit regione Philippum
Illius Iudas Moſis pro corpore priſcum
Certamen, tum reſponſa haud numina ſcripſit
Quis memoret, vel quis capiat quæ, & quanta
Ioannes
Patre Zebedeo natus ac cognita toto
Eccleſiæ matris de ſucceſſu varijſque
Caſibus extremum ſæclorum, duxit ad æuum.
Aut qui Magdalidis Sanctæ deſerta petentis
Aſpidis aduerſus technas & ſibila priſcæ
Tutatus pugnam ſiet, & ter mille labores.

Illum

Digitized by Google

Illum Epheſum repetiturus tuba ſacra Ioannes
Diſcipulus Chriſto dilectus Laodicænis
Affore prædixit multis, mirîſque fauorem
Prodigijs monſtraturum, auxilioque futurum.
Poſt breue tempus enim (ne cętera cũcta reducã)
Fons emanauit nitida pulcherrimus vnda.
Quam quiſquis morbo preſſus, nec corpore ſanus
Summis potabat labris mox inde redibat
Incolumis grates diuo laudeſque rependens.
Hincq; paganorum plures, quam dogmate verbi
Impulſu dehinc ſe baptiſmi rore nouabant.
Ciuis erat quidam florens ætate, boniſque,
Qui (ſed eo tantùm merebat filia patri
Vnica, quod muto foret à natalibus ore,
Idque malo grauius quouis, & morte putabat,
Ipſa optans anima, & precio quocunq; medelam
Impius ille quidem fideique ignarus ad almam
Quo tractus ſupera lucem bonitate veniret
Pluresque exemplum motu ſequerẽtur eodem)
In ſomnis videt excelſam, & ſine corpore mẽtem
Maiorem humana verbis vultuque iubentem
Duceret ad fontem natam, fidenſque puellæ
Manantem ſacra daret è ſcaturigine nympham
Euigilat, pauiduſque licet iuſſa ordine complens
Cherotopam (tali locus is nam nomine fertur)
Accedit: ſtupet ingentem longo agmine turbam,
Orantes alios, alios modulamine grates
Pangentes alacri; doctuſque in vota vocare
Trinum vnumque Deum ſimul, Angelicumque Monarcham

Haurit

Haurit aquam natæ: quæ mox vt labra rigauit
Eloquitur, format voces, Triademq; potentem
Inuocat, atque tuum nomen quoq; diue Michael
Perſonat: accumulant laudes, grateſq; Tonanti.
Gaudia depromunt ſua, promulgantq; per oras,
Europæ, atque Aſiæ; & ſacro aſcribuntur ouili.
Exſtruiturque ingens templum, cultuſque perennis
Erigitur, fumant in cælum thuris odores.
Sed ſatis hæc, maiora loquar: nobiſque canendus
Archippus Sanctos inter memorabilis omnes,
Ædituus templi ſexdenos ampliùs annos.
Qui puer Hierapoli aduentans, agreſtibus herbis
Et modica viuebat aqua, hebdomadamque trahebat,
Alternos varians ſaccos, nunc veſtis in vſum,
Nunc ſtrati, ſub quo ſentes, cauteſque rigebant.
Quique animo potiùs viuens, quàm corpore Chriſto
Aſsiduum edebat cultum fletu, precibuſque:
Gentilis ſed turba fremens pietatis, & iſtud
Culmen non tolerans, & tot miracula fontis
Confluxumque hominum interitum tendebat vtrique
Verùm tanta Dei eſt virtus: dum verbera déſant,
Torpeſcunt dextræ, fontemque exorta tuetur
Flamma: abeunt, iterumque noua impietate furentes
Vicinum ſatagunt flumen (Criſos ille vocatur)
In cœleſtis aquæ fundum deducere, & alueum
Immutare iubent: aſt ô diuina poteſtas!

Non

Non paret fluuius: hodierno tempore ſed quem
Nunc retinet curſum loca per contraria cœpit,
Nec tamen his viſis reſipit plebs impia, mentis
Duritiem neque deponit; rabioſa ſed imo
Conſilia orditur, cælo ſuperiſque rebellans
Mons erat accliui tendens ad ſydera ſaxo
Atque duo iuxta fluuij coëuntibus vndis
Radebant latus è diuerſis partibus orti.
Hos ſcelerata cohors ne quicquam linquat inauſum,
In fontem templum, atq; locum deuoluere lapſu
Pręcipiti coniuratis conatibus ardent.
Ergo inſtant, ducunt foſſam, fodiuntque, cauantque,
Atque opere expleto, vt foret in decliuia maior
Impetus, obducunt ſepem, retinentque procellas.
Interea Archippus tenſis ad ſydera palmis
Orabat, ne ſucceſſum molimina talem
Acciperent, ſacer atque locus ſuperatus ab illis
Ne rueret, talemque luem, illuuiemque videret.
Poſtque dies dènos cùm nox iam cœpta tenebras
Spargeret, vt ſenſit ſubmota ſæpe fluentes
In præceps fluuios lacrymis exclamat obortis.
O Deus omnipotens (inquit) dira ecce fluenta
Euexere ſuas Deus, euexeréque voces,
Cum fremituque ſuos extollunt vndiq; fluctus.
Mirificè vndarum moles: mirandus in altis
Eſt Dominus, quin diuinam ſemper decet ędem
Sancta fides, pietaſque, Deus qua mente colaris.
His dictis audit vocem Archippumque vocari
Egreſſuſq; cadit pronus, neque ferre micantem

Æthe-

Æthereamque poteſt lucem: ſurge ocius ad me
Huc propera, inuictam virtutem namque Tonantis
His in aquis tanta eſt, quarum violentia, cernes.
Paret, & aſtrorum turmas qui dirigit, altum
Archiducē agnoſcit, videt igniuomāq; colūnam
E terra rectā ad cælos, vocemque iubentis
Ne timeat, ſit forti animo: dumque ecce rotatur.
Illuuies deuaſtratrix lignum crucis edit
Militiæ cæli ductor, fluuioſque ruentes
Stare loco iubet, hique ſimul cum voce pauentes
Firmato pede ſtant: muri cohibentur adinſtar:
Tumq; ille in rupem tracto ſigno crucis: ecce
Erumpit tonitru, tremit ipſo pondere tellus,
Funditur ac rupes, ſignum repetenſque terantur
Hic (ait) aduerſæ vires contraque fideles
Exoptata ſalus maneat, fugiatque malorum
Machina: tum ſigno fluuios affatur eodem:
Hoc deinceps infundibulum petitote fluentes.
Dixit, & auerſo celeres mandata faceſcunt
Incurſu fluuij, impietas, mentita ſibique eſt.
Ipſeque mox repetit puros Archangelus axes.
Victor at Archippus voti compoſque repulſis
Hoſtibus, inque illud nunc nil audentibus vltra,
Liberius zelum expandit, ſol omnibus atque
Perpetuum precibus feſtum, grateſque rependit.
Chriſticolæ paſsim gaudent, numeroq; opuleſcūt
Vt mirum non ſit varia ditione Michael
Princeps cœleſtis, ſi templa, araſque recepit.
Ipſo etiam quidni regnante Diocletiano?
Hoc etenim priſcis clarum ſatis eſt monumentis,

Quod-

Quodque tributa dies eius fuit annua feſto.
Vt priſcus vates ſignauit carmine Florus
Ille eſt æthereus Princeps, deuotio magni
Cui Conſtantini diuerſo littore ſtruxit
Templa duo, quà regalem ſulcatur ad vrbem
Euxinus ponthus: regio Soſthenion olim
Anguſto diſtincta freto, turgentibus vndis
Dicta: argonautis nimium bene cognita: rebus
Nam deſperatis fugientes hoſte premente
Arboribus denſis texit, diuinaque virtus
Atque viri ſpecies aquilæ nigrantibus alis
Ad Martem accendit trepidos, & fauſta ſpopōdit.
Qui poſt victores facti memoreſque bonorum
Exſtruxere loco templum, & poſuere decorem
Conſimili ſpecie ſtatuam, nomenque dederunt
Cumque diu, & multis poſt ſæclis magnus & illuc
Veniſſet Conſtantinus non neſcius horum
(Auctor in his mihi Nicephorus non ſomnia ſector,
Priſcorum ſequor ipſe fidē) Soſthenion, inquam,
Inuiſens magno luſtrat cuncta iſta ſtupore.
Hiſtoriam veteremque refert, ſed veſpere cum ſe
Colligit in ſomnum apparens, conformis imago
Illius ſtatuæ ſimiliſque per omnia dixit
Ipſus ego ſum, qua cernis virtute Michael
Virtutum Domini Sabaoth dux maximus, atque
Eccleſiæ Chriſti tutor, pia qui tibi contra
Pro zelo fidei furioſos arma tyrannos
Portanti tuus ipſe fui, tuus auxiliator.
Excitus è ſomno Cæſar, tantoque ſupernis
Indicijs

Indicijs ſe vallatum munimine cernens.
Excoluit totamque oram, nulliſque pepercit
Sumptibus, atque aram templo dignam imperiali
Culmine, ad Eoum deuoto munere ponit.
Illuſtrem ſed & ipſe ſuis Archangelus, illam
Mirificis actis, rerumque effectibus ædem
Reddidit; haud etenim quiſquam quacumque grauatus
Sorte per optatam non eſt præſtante medelam
Diuo ſortitus, breuiter nam cuncta referre
Nemo poteſt: illic aulæ medicus Probianus
Diſtortis pedibus, iuncturis atque laborans
Liber ijt: quin & cœleſtis viſio craſſum
Errorem fidei (nec enim meritum crucis ille
Credebat) totis ſancto medicamine fibris
Exemit, docuitque ſalutarem omnibus eſſe,
Omniaque hoc peragi ſancto myſteria ſigno.
Illic & celeber cauſis Aquilinus agendis
Ardentes paſſus febres dum pocula ſumit
Et vomitu reddit choleram, & fædatur amaro
Illius intinctu atque omnis faſtidia menſæ
Perpetitur, reijcitque cibum, ſpemque abijcit omnem.
Ad templum tandem ductus dum nocte recubit
Melle, mero, & pipere omnem iuſſus fingere potũ
Atque cibum veluti cœleſtia iuſſa ferebant
Liber & ipſe abijt, pepulitque calorẽ calorem,
Quod medici factum ſua contra ſcita probabãt.
Cætera prætereo rerum miracula, quæ poſt
Feruore, & zelo, ac ſtudio creſcente piorum,
Poſteritas templo Angelico patrata recenſet,

Quod-

Digitized by Google

Quodque Michaelium tractum de nomine dixit.
Poſt autem ſeclis aliquot cùm dira vetuſtas
Templa hęc vaſtaſſet,fierentq;propinqua ruinæ,
A fundamentis ſtructura diuite Cæſar
Reſtituit, leges vno qui corpore clauſit,
Baſiliuſque idem multo poſt tempore curat.
Inde ſed ad templum redeo Chonenſe, ſtupenda
Dicturus paucis, Caroli poſt tempora magni
Exactis annis, quo tempore nempe regebat
Eoum imperium nati conſors Theodora.
Hoc templo fuit illuſtris, mirandaque imago,
Ex qua dimanans vnguentum corpora ſana
Redderet ægrorum, ac labes auerteret omnes,
Munere quo crebro gauiſus cærifer ædis
Illius; morbo tandem quatitur grauiore,
Vix vt vitæ ſpes eſſet, memor attamen ædis
Angelicæ, & diuo fidens, illius in ima
(Deferri poſtquam ſe procurarat ad illam)
Parte iacens, oculos patiendo attollit in altum,
Accedunt multi, & miſerum ſolantur: at vnus
Temporis impatiens, laudis vænator, & arti
Confidens medicus præbet fomenta, paratque,
Inuitoque licet vult hæc adhibere miniſtros
Ante noui exortum Solis: cum nocte Michael
Inſpector medio aduentat, pegaſoque relicto
Ante fores intrat multo templum comitatu,
Totus & ille locus diuino impletur odore.
Veſtis erat ſeu Præpoſiti, ſicque omnia luſtrat,
Hincque ad languentem veniens res illius inter
Repperit in tenui fomenta repoſta caniſtro,
Illaque ad ægrotum ſpectãs ait, hæc ſibi quidnam
Impor-

Important, noſtra quis tam temerarius æde
Hæc conſarcinat? authorem cui nominat æger,
Ite ait in pœnam ne ſeſe immiſceat vltra
Contemptor tantus reſerate caputque, & in illud
Hæc pariter noſtro congeſta retrudite iuſſu.
Dixit, & ipſe ſua cupiens virtute mederi
Seſe ad candelam; quæ pro eius imagine rerum
Effectrice ſtupendarum fulgore tenebras
Arcebat rutilo, vertens digitumque ſupremum
Intingens crucis in formam caput ęgrotantis
Conſignat: notos & equo feſtinat ad axes,
Totaque tunc clauſis ceſſauit viſio portis.
Cærifer his geſtis animo tremit anxius, atque
Præsbytero mane accerſito ſingula pandit.
Qui dum perquirit fomenta, nec inuenit, & dum
Sacro oleo capiti crucis effigiem videt, alto
Impreſſam ſtupet, ad medicumque recurrit.
Singula cui referat culpās factumque, modumq;
Huc vbi peruenit, medicum (miſerabile dictu)
Oppreſſum ſubito morbo, dirisque dolorum
Confixum iaculis: faciem nam puſtula totam
Irruerat, multa circum lugente ſuorum
Congerie; mihi iam medium mihi ſcindite ferro
Et reſerate caput, nec enim tot tormina ferre
Suſtineo, extremū hoc veſtro date munus amico.
Ille quidem ſed mox audito ad ſingula rerum
Pręsbytero culpam deteſtans, cauſa (ait) horum
Cauſa malorum ſum, atque meæ acceleratio mortis
Tollite me, in ſanctumq; eius me tollite tēplum.
Vt de me bonitas eius, quodcumque iubebit
Decer-

Decernat, ſtatuatque, illi mandata faceſcunt;
Cum ſtratiſque hominem portant: at cærifer iſtum
Vt ſtrepitum audiuit turbę ſenſitque tumultum,
Aſsidet erectus primum, ſanum, incolumemque
Se videt, exurgit lecto totiſque medullis
Glorificat patrem æternum, templique patronum
Angelicum, magnum medicum, vitęq; datorem.
Dein it in occurſum gaudens, humeriſq; dolẽtem
Præsbytero auxiliante capit, ſacraſque reponit
Ante aras, ſe culpantem, crimenque dolentem,
Ac nimis afflictum, miſerabiliterque querentem.
Nec ſatis hoc, ſacra deducit imagine manans
Mirificum vnguentum, atque illo caput illuit ægri.
Cum ſubitò pariter ceſſant tormenta, faceſque
Ignitæ vultu pacati iamque recedunt.
Menſque quieta redit medico, totuſque reſultat
In laudes, grates, pſalteria, cantica, & hymnos.
Nec ſemel hoc, toto ſed in illis perſtitit æuo
Militiæ cæli Archiducem gratanter honorans.
Vnde Deum laudant populi quocumque beatus
Rumor ijt, victam quoque ſe veſana fatetur
Hæreſis, Iconum quæ tunc tollebat honorem.
Sed ſatis hæc, propero latum ſermone petamus:
Ille eſt peſte graui qui ſtrictum mole Adriani
Iam ceſſante lue vaginæ reddidit enſem,
Angelicum retinente loco nomen, titulumque,
Ante licet magno Romæ coleretur honore.
Mons eſt Adriacas tendens Garganus ad vndas

Cui ſua ſtelliferos accliuia ducit in axes
Difficilemq; aditum ſcopulis pendentibus aſper
Obijcit, hirſutis decliuiaque inuia ſaxis,
Fortè latebroſis denſa conuallibus herba
Conſita rura famem armentis, pecorique leuabant
Has Garganus opes illis iactabat auitas
Temporibus, nomenq; ſuum de monte ferebat.
Taurus erat Domino carus, pecoriſque Magiſter
Hícne Dei inſtinctu, propriáne libidine ductus
Spreuerit aſſueti pecoris conſortia; multis
Ambiguum eſt, potior ſententia prima recepta eſt.
Ergo rigeſcentes ſcopulis immanibus erro
Tranſgreditur cautes, denſis dumoſaque ſpinis
Deuia, & effœtis loca quæ rigor aſperat herbis.
Nulla ferę remeare domum ſtat cura, tenetur
Collibus ac demum tenebroſo veſpere ſpirans
Ante fores antri horrentis caligine, ſtrato
Corpore procubuit, curam aſpernatus herilem.
At Dominus (miratur enim quæ cauſa, quis illum
Impetus à ſtratis, & priſco detinet vſu)
Vix animo ſatis hoc æquo capit, vtque ferebat
Conſilium præſens placuit ſeruilibus armis
Veſtigare feram, & duris perquirere ſaxis.
Nec mora, præcipitis ventum ad ſublimia rupis
Conſpectoque prior monſtro Garganius hæres.
Licetè pharetra promptis pendente ſagittis
Inuolat, & recto tauri latus impetit ictu;

Indignante Deo, telum namque ecce retorta
Cuſpide læthali iaculantem vulnere ſternit.
Turbati trepidare metu comiteſque, manuſque
Seruiles, citius facto diſpergitur vrbe
Triſtior attonita rumor, plebs concita rebus
Hæſitat auditis: Conſultus Epiſcopus omnem
Cum precibus tolerare famem, populumque, patreſque
Præcipit; indicium ſic numinis vſque rogetur.
Nec dubium, mæſtis vt enim lux tertia rebus
Exierat: ſtetit æthereis Archangelus alis.
Luce ſua, radijſque micans, multumque precatis
Voce Sipontini releuauit Præſulis aurem.
Scire licet, toto ſum cognitus orbe Michael
Ante thronum Domini cultu qui perpete ſiſtit.
Sumque loci iſtius cuſtos: inſpector & horum
Quæ circumfiunt, voluique hoc indice ſigno
Hoc animis certum, notumq; relinquere veſtris.
Dixit in volucres abiens euanuit auras.
Nec mora permultum gaudens effunditur omnis
In ſanctum præeunte ſacro plebs ordine montem,
Feſſus vbi quadrupes tandem requierat, & ecce
Oſtia conſpiciunt duo quorum maius ad Auſtrum
Conſiſtens certis occaſum verſus adiri
Poſſe videbatur gradibus; ſed nemo ſubire
Nemo intro proferre pedes audere volebat.
Interea Beneuentanis, totique Siponto
Gentilis rabies parat infeſtiſsima bellum,
Attoniti trepidant ciues, rurſuſque monente

Præſule per tridui diuum ieiunia poſcunt
Militiæque ducem, ſeruatoremque ſuorum.
Nox erat, inque diem crudelis pugna ſequentem:
Pontifici apparet Sanctus, ſpondetq; triumphum
Auditaſque preces, ſeſe auxilióque futurum.
Hoſtis adeſt, arma, arma ſonant, ſtragemque minantur.
Nec mora, Garganij turbata cacumina montis
Contremuere cito motu, tenebræque ruentes
Et caligo frequens apicem obduxere ſupremum.
Fulgura denſa ruunt, tonitru & comitata triſulco
Fulmina flagranti ſubſidit ab ęthera flamma
Crebrior, ignitæ voluuntur ad infima moles,
Sæuit in attonitos vis ętheris, vltio certam
In miſeros cladem iaculatur cælica, quemque
Pernicies premit inſuperabilis, incola præſens
Senſit vbi numen non iam letalia ſæuus
Miſsilia, aut ferrum, vel plenam continet iram,
Euolat in pauidos, & quos non vſſerat ignis
Æthereus iam nunc impendens traijcit enſis.
Paucis queis fuga ſecurum monſtrauerat vſquam
Effugium, curſu ſeruarunt alite vitam.
Namque vbi ſe victos armis videre ſupernis
Gentiles populi, damnarunt vana Deorum
Nomina, pręſidium quorum eſt in robore nullum.
Iuppiter horrendus demum cognoſcitur, error
Atque ſuperſtitio patet, & mox fonte ſacrato
Gens confeſſa graues culpas perfunditur, albis
Induiturque togis, & ſacros concrepat hymnos.

Poſt pugnam ciues montem qua parte ſolebant
Ante fores orare petunt, grateſque potenti
Archiduci referunt, & dulcia iubila pangunt.
Ianua erat Boream verſus, mirabile dictu
Conſpiciunt vbi ceu hominis veſtigia duris
Indita marmoribus preſsim, mirantur & omnes
Hæc ſibi præſentem cælo prætendere diuum.
Hoc ſignum voluiſſe datum, voluiſſe notari.
Verum de introitu, de templo rite ſacrando
Maximus angor erat, Præſul, Romanaque ſedes
Conſulitur, pietas, timor, & reuerentia cunctos
Sollicitat: placuit triduana tum quoque iuſſa
Eſurie, poſt indicium, cœleſteque Numen.
Vltima lux aderat: Princeps Archangelus ecce
Voce Sipontinum appellat, tum talia fatur.
Eia agite, atque animis templum conſcendite puris,
Dicatamq; à me Eccleſiam, celebrateque ſacras
Maiorum ritu miſſas, cultumque perennem:
Per me ſacrata eſt, cunctis accedere fas eſt.
His abit, exurgunt Antiſtes, Clerus, & omnis
Sexus, & ad montem vnanimi pietate feruntur.
Hi flores, hi dona gerunt: ad ſydera palmas
Attollunt omnes, & carmina ſacra canentes.
Dum ſubeunt portam Auſtralem, ſe protinus ingens
Ad Boream protenſa aperit, greſſus vbi ſigna
Humani prius agnorunt, tum Solis ad ortum,
Baſilica acceſſum gradibus quæ præbet inemptis

Quingentos ſimul ille locus comprendere poſsit,
Denique palliolo rubeo cooperta decenter
Apparet ſimul ara omni venerabilis æuo
Ipſa tenens medium muri vergentis ad auſtrum
Tota domus, nihil ingenio nihil arte recepit,
Humaniq́ue opis nihil, aſt informis ad inſtar
Speluncæ ruptis vllo ſine ſchemate ſaxis,
Prominuliſque rigens ſcopulis; tum culmine ſurſum
Petroſo poterat quod parte hac vertice tangi.
Aſt alia cubito fuerat ſublimius vno.
Scilicet ornatum ſaxorum Archangelus æde
In propria non ſpectauit, nec ſplendida tecta
Aſt animæ purum affectum, ſanctumq́; decorem.
Nec tamen huc auſus nocturno tempore quiſquam eſt
Ire, ſed aurorâ veniunt, & carmina dicunt.
Ipſo autẽ ex ſaxo, tectóue, quod aſpicit auſtrum,
Guttatim dimanat aquæ pulcherrima viſu
Limpiditas, lætus dono vocat accola ſtillam
Ac vitro expectat, febres fugat illa calentes
Denique & innumeris illic miracula fiunt
Angelica virtute modis, ægriq́ue leuantur,
Et veniens toto remeat deuotio mundo
Huncq́ue locum pariter diui ſuaſu Romoaldi
Criminis admiſsi veniam quo poſceret Otto
Romanus Cæſar ſupplex adijt pede nudo.
Quin etiam Romæ pręſens Bonifacius iſtis
Excitus Eccleſiam criptatim ſchemate miro
Erigit excelſi ſupremo in vertice circi,
Dictus vt hic nubes inter locus eſſe canatur.

Sed

Sed plebs difficiles aditus conqueſta deorſum
Ante pedes rupis pro commoditate precantum
Diuo templum aliud ſancto molimine ſtruxit.
Prætereo quoque Pontificis prægrande Leonis
Delubrum, quod proſtratis ſtatuit Saracenis
In Vaticano: ſic marmora ſcripta loquuntur;
Inque foro quoddam, quod piſcibus extat emen-
dis,
Exemplum varias quod denique ſerpſit in oras
Innumeros illo ſuadens gaudere patrono.
In cuius quoque Seraphicus Franciſcus honorem
Montis in Aluernæ ſaxis, vbi ſtigmata Chriſti
Promeruit, quatuordenis deuota diebus
Exemplo Chriſti ſupplex ieiunia ſoluit.
Namque Archangelico totus flagrabat amore,
Nempe quod officij ſpeciali munere mentes,
Atque animas ſummi ad lucem preſentet O-
lympi
Qui peregrinandi cauſâ Garganum adeunti
Pontifici Aſsiſij moriens apparuit, atque
Linquere ſe terras, cælumque repoſcere dixit.
Dein illuc quendam male, & irreuerenter eun-
tem
Atque ideo cum fontis aquam guſtaſſet, ab atro
Dæmone correptum poſt interualla trienni
Orantem facto fecit ſanum eſſe ſepulchro.
Ad te autem quonam peruenit Gallia pacto
Dicere nunc mens eſt, & rectus poſtulat ordo.
Inſula monſque idem paucis à littore Gallo
Paſsibus, occiduos aduerſâ parte Britannos
Reſpiciens, iunctuſque illis quos Neuſtria cœpit,

Et Normannorum ſummas quoque terminat oras,
Vndique & Oceano ſuccingitur. Hic ſua ductor
Ordinis Angelici dum vult cariſmata Francis
Largiri, miro quos prædilexit amore,
Pontificem Autbertum certum monet, vt ſibi in illo
Exſtruat excelſum Angelico ſub nomine tẽplum,
Commonitus qui bis, præſtat nihil, intereaque
Taurus vbi furtim cupido à latrone ligatur
Præſul & admonitus terna vice iamque iubetur
Vt quaqua Taurum reperiret parte reuinctum
Huc fundamentum iaceret, quantum pedibuſq;
Is terræ protriuiſſet, tantus foret ædis
Ambitus, & muros ad culmen duceret altos.
Certior his factus Præſul, nihil atque moratus
Ad populum mandata refert, illi agmine denſo
Nauigijs adeunt rupem, prærupta que ſcandunt
Ac Taurum inueniunt, læti quod conſona ſignis
Iuſſa forent, necnon templi molimina ducunt
Tumque operi incumbunt, geminas rupes, opus omne
Diſturbare vident, nullæ quas tollere poſſunt
Aut vires aut ars, aut ingenioſa facultas.
Hîc alacres, atque vnanimes vnus dolor vrget.
At cuidam è numero (tanta eſt dignatio cæli)
Angelus apparet, rupes mandatque prehendens
Admoueat, pellatque loco: qui nil dubitandum
Eſſe ratus factum aggreditur, rupeſque prehenſans
Sic priſca de ſede mouet, ceu ponderis illis

Nil

Nil in tam vaſta, & ſaxoſa mole fuiſſet.
Omnes vnde hilares inter reſonantia laudum
Cantica concepto conſummant ſchemate ſanctam
Eccleſiam viſu pulchram compage decora,
Atq; Archāgelico patrono, & Præſide dignam;
Cuius & ab illo veneratio creſcere cœpit
Tempore, & aſsiduo velis remiſque ſecundis
Ex omni regione velut Garganus adiri,
Iſque locus dictus maris à remeante periclo.
Nec tulit hoc ægrè Clerus, Prẹſulque Siponti
Quod magis eſt tanti Archiducis gauiſus honore
Vltra etiam Morinos ſparſo verſuſque Britannos
Pallioli partem cœleſtis muneris, atque
Marmoris, in quo calcarat donare libenter.
At cum cultores feſſos, ratibuſque relictis
Montem aſcendentes grauiter penuria dulcis
Afflictaret aquæ, ſalſos tantumque recurrens
Funderet Oceanus fluctus, oratio vulgi
In cælis ijt, haud aliter quàm thuris in altum
Suauis odor, nam cœleſtes qui dirigit arces,
Armataſque trahit turmas Archangelus aures
Intendit placidas, fierique in rupe foramen
Mandat, & è petra facit emanare liquorem
Mellifluum, & dulcem vſque in tempora noſtra perennem.
Sunt & qui referant hoc feſto bis mare tutum
Fluctibus auerſis iter ad loca ſacra dediſſe.
Et cum fors mulier vero pietatis amore
Pergeret ad templum multa comitante caterua,

Atque vterum gereret, vehemens maris impetus ecce
Atque vorago ſuperuenit, ſibi conſulit omnis
Turba fuga celeri vicinum littus anhelans,
Sola puerperio mulier contermina curſu
Deficit, & tumidis orans inuoluitur vndis,
Exoratque ſimul, (diuus namque aſtitit illi
Fluctibus in medijs maris) in gremioque tenellam
Vlnis excipiens ſatiauit lacte puellam,
Littoreque optato demum potita quieuit
Perpetuo cælis grates modulamine reddens.
Cætera quid referam? quantum terraque mariq;
Præſidij attulerit diui fauor armipotentis,
Dicere quis poſsit mala quot diuerterit, aut quot
Commoda protulerit Gallis dicenda relinquo.
Barbaricas contra gentes, fæcemque Agarenam
Normannoſque truces, Angloſque (perenne duellum)
Proſpera Francorum toties qui prælia & arma
Pro iuſto ſanctæ Sedis tutamine fecit.
Ille eſt qui res proſtratas, & lilia multis
Reſtituit acciſa locis, dominantibus Anglis,
Regalemque vrbem ſeu ſceptra tenentibus ipſa:
Impulit imbellem & produxit in arma puellam,
Quæ Francis animos faceret, vincique doceret
Victores: tetra quando obſidione leuauit
Aureliam, varias vrbes, & caſtra recepit.
Remoſque inuexit Regem ampullaq; inunctum
Auſpicio meliore facit, geſtare coronam.
Quo tandem (quod & euenit) loca perdita regno
Redderet

Redderet atque ſua ditione repelleret Anglis
Singula quæ poſt vndecimus memori Ludouicus
Mente notans, reçolenſque quod hæc immota
ſtetiſſet
Rupes, innumeris alijs hoſtilia paſsis
Arma, iugumque ſuo Regi, Dominoque fidelis
Molibus, atque fame licet exagitata fuiſſet
Ordinis inſtituit clarum geſtamen equeſtris,
Idque Michaelis decreuit nomine dici
Fautoris regni, Mæcenatiſque potentis.
Nobilitas quod prima ſuæ virtutis haberet
Mnemoſynon, geniale decus, ſociale trophæum,
Vtque alijs daret exemplum peregrè quoque
montem
(Id quod & antiqui Reges fecere frequenter)
Idem Rex adijt, precibus donaria iunxit,
Cuſtodem regni defenſoremque reclamans
Vtque ſcias illiç cultum florere perennem,
Cœnobij Benedictini fundatio, diues
Culmen habet montis flatu viuitque marino.
Nec minor & noſtro pariter cuſtodia ſæclo
Exſtitit Angelicæ rupis, fædiſsima quando
Hæreſeum illuuies templis, ariſque caducam
Perniciem inuexit, regno diriſsima: cùmque
Empyreo Archiduci dæmon niger hoſpes A-
uerni
Inuidit ſedem excelſam, cultumque, & honorem
Illius vt de monte decus detruderet, à quo
Principio rerum dum ſe aſsimilare Tonanti
Geſtit, in igniuomum eſt depulſus fortiter Or-
cum

Quiſ-

Quiſquis enim fuit ille furor, rupis licet imam
Hypocriſi & vafra pietatis imagine tectus,
Radicem inualit: fæliciter attamen ipſo
Principio fuit oppreſſus virtute bonorum
Promptum in ſubſidium quos index flamma vo-
carat.
Ceſſo referre alium ſimili ſub nomine montem,
Qui Suecos, & Norvvegos diſcriminat, aſper,
Aſper ſæuit ibi Boreas: necnon Aquilone ſub
ipſo
Moſchis, quę paret tanti quoque nominis vrbem
Et quo abs Hybernis cautes iactatur in alto
Oceano, vel nunc quam contemptor tenet An-
glus,
Denique nam finem facimus ſermonę repreſſo
Quæ certa, & concors veterum eſt prædictio va-
tum,
Finis erit quando rerum, terræque, mariſque
Proximus & toto graſſabitur orbe tyrannus
Falſi Meſsiæ, & Chriſti: Iudaïca circum
Quem rabies curſim colet, & patulas dabit aures,
Hic contra geminos Heliam educet, & Enoch
Veridicos vates, aderit ceu fulgida cæcis
In tenebris lux, inque metu inconcuſſa columna
Conſurget, ſtabunt pariter cum Principe forti
Sub ſignis turmæ Angelicæ, cæliquecohortes.
Ille autem ſcelerum veniet cum terminus, altos
In cælos volitare volet Deus, & Deus eheu
Montis Olivueti ſacrato in vertice dici.
Sed mox Tartareos vento petet ociùs ignes,
Cum præcone ſuo ferali, fulmine tactus

Impe-

Imperio, iuſſuque Dei, Angelicisſque ſagittis.
Tum quoque Iudæi veteri glaucomate pulſo
Diuinam ſitient lucem: quin & draco demum
Antiquus ſerpens modici poſt temporis atrox
Imperium, quod laxatis paulo ante cathenis
Cœperit; obtritis animis, & viribus: atras
Namque acies contra Michaelem protrahet; ignes
In ſtygios & ſtagna ruet nigrantis auerni,
Perpes vbi cruciatus eum, ſociosſque manebit.
Inde Archangelico iuſſuque, & voce potenti
Defunctæ cineres animæ, glebamque reſument
Corpoream: tum iudicium generale ſequetur
Vexillumque crucis diua virtute Michael
Præferet inſontes & ab hædis diuidet agnos.
Hos polus excipiet, Phlegethon deglutiet illos,
Tempore quo noſtri memor ô ſis diue Michael,
Qui tua viuentes licet haud fæliciter ore
Facta recenſemus, laudum ſtudioque tuarum
Offerimus textas cum thuris odore corollas.

AD EVNDEM D. MICH. *Oratio.*

O Qui ſincerum tenuiſti in numine vultum,
Luciferumque Deo ſe æquantem protinus alto
Deiectum, ſtygijs damnaſti horroribus, vſque
Dum ſtabit Deus, & victor reſidebit Olympo.
Iſacidas qui de Pharijs tutatus es vndis,
Poſtque Arabum ſedes ſicco Iordane ſubactis
Gentibus innumeris votiua ſorte locaſti.
Corpore pro Moſis qui ſæuum dæmona contra
Iuiſti pius, & fortis; dirumque draconem
Orbis in exitio magno certamine vinces.
Qui cælo Princeps, qui terra diceris eſſe.
Pręſidio cuius fælix Eccleſia ſemper
Perſtitit, atque manet victrix: meritoque per oras
Appuliæ, montiſque iugum, populoſq; ſacraris,
Ac tibi ſtant varijs Michaelia plurima terris.
Qui cæli portas ſeruas, animaſque ſolutis
Artubus ad libram expendis, iuſtéque recenſes.
Fauſtus ades nobis, faueas Archangele nobis
Præſidium caſus in cunctos forte Michael.
Quidquid erit, noſtros ad Chriſtũ verte labores
Quicquid erit, noſtros in cælum dirige vultus;
Libra digneris, tuearis ab aſpide, ſalua,
Et proprium à nobis depelle potenter amorem.

AD

AD OMNES ANGELOS, & præcipuè ad S. Mich. Carmen, ex libro cui titulus, De arte bene viuendi, & bene moriendi.

INclyte cæligena Michael fulgoris amæna
Alta colens regna pluſquam dulcedine plena
Fulmina refræna, peſtes, hoſtes aliena,
Cælica terrena fac nobis alme ſerena.
Tu nimius claſsis pangentis dies in axis
Tu quia mira facis: fortis, pugil, incola pacis,
Tutor in hora ſis à laruæ dente rapacis.
Tu quaſi iam pacis Archangele te precor adſis.
Te nomen prodit, te nempe quis vt Deus edit.
Te duce vita redit, à quo priùs illa recedit.
Nam tibi concedit Dominus, ſi quando recedit
Spiritus, & credit Michael hunc ad loca reddit,
Fulgens ſplendorem nimio tam dignus honore
Prępoſiti more cunctos pręcellis honore.
Angelico flore tranſcendens cuncta decore.
Dæmonis horrore nos priues atque dolore
Signifer ô Chriſti, ſerpentem qui domuiſti,
Mors Antichriſti monſtrabit quod valuiſti.
Iudicio ſiſti clamabit dum tuba triſti
Per te cœleſti patriæ iungamur honeſti:

Ante

Ante pericla maris monte in tumba veneraris,
Apuliæque paris mons eſt Garganus honoris,
Quæ loca præclaris virtutibus auxiliaris,
Pluribus à charis huc illuc ſæpe vocaris.
Dum Zabulon vſsit, Michael in monte reluxit,
Diuiſum duxit fieri mare cum retrofluxit,
Iſrael eduxit, Ægyptus Barbara cuſsit.
Sic Deus hoc iuſsit, qui nobis propitius ſit.
O primas Agie paradiſi ſatrapa Dye
Dux quoque militiæ, ruit ex qua turma gloriæ
Athleta iuſtitiæ, fælix aſſecla Mariæ,
Princeps Eccleſiæ da nobis dona Sophiæ.
O vos fælices per cæli dindima voces
Gabriel inſignes bona qui noua fers ſuper omnes,
Vos cuncti celebres Raphael medicina cohæres
Vos ſuperûm ciues reddite, ferte preces.

IN

IN EIVSDEM, ET OMNIVM Angelorum laudem Eraſmi Rot. Carmen Sapphicum ex tomo 5. operum eius.

CÆlitum princeps Michael, & omnes
Spiritus Sacri, libeat, precamur,
Supplicum votis tribuiſſe pronas
Cælitus aures.
Sordidæ ſed ne merito canentum
Sordeant Odæ, citus huc ab arce
Deuolet fulgente Seraph decoris
Igneus alis.
Qui foco Sacro vſque calentis aræ
Calculum viuum rapiens (vt olim)
Applicet noſtris placidus labellis,
Oraque tergat.
Luridæ quidquid maculæ perurat
Deſidem pellens animo teporem
Igneas cantent acies (vt ęquum eſt)
Ignea verba.
Porro tu primas tibi vendicato

Carminis partes Michael Beate
Primipilari duce, quo triumphant
Agmina cæli.
In quibus luces itidem, vt Pyropus
Nobiles inter radiat lapillos
Vtue formoſus ſocia inter ardet
Lucifer aſtra.
Ius tibi ſummum necis atque vitæ
Tradidit magni moderator orbis;
Tu potes ſeruare probos, & idem
Perdere ſontes.
Tu piorum tutor & aduocatus;
Tu Dei in templo nitidas ad aras
Viſus es dextra tenuiſſe plenam
Thuris acerram.
Tu pias lętis animas reponis
Sedibus, cantu procul audiendo
Squalidis olim gelida exciebis
Funera buſtis.
Quàm dedit lætos pia turba plauſus
Cùm graui cælum quateret ruina
Hoſtis, & ſerpens veterator, acri
Non ſine pugna.
Ille ſublimes ſubitò ſub auras
Emicans, ſeptem, (ſtupuere cuncti)
Ora tollebat, colubris tumebant
Colla trecentis.

Flam-

Flammeis ardens oculis, auernum
Virus efflabat furiale monſtrum
Fulminiſque inſtar, piceos vomebat
Faucibus ignes.
Te nihil terret rabies minacis
Belluæ, ſed vi domitam ſuperna
Cogis abſortam ſuperâs ad auras
Reddere prædam.
Quæ tuas fuluas fugitat ſub alas
Læta, pręſenti ſed adhuc periclo
Palpitans, elapſa velút rapaci
Ales ab vngue.
Ergone quid iam trepident, cadauer
Triſte deturbas, labat, ac labantis
Pondus exhorrens aperit profunda
Tartara tellus.
Non ſecùs quàm ſi Siculo Peloro
Pendulum in fluctus abeat cacumen
Territum cedit, refluumq́ue latè
Diſſilit æquor.
Ferreis illic domitus cathenis
Horridum quaſſat caput, ac minatus
Multa nequicquam furibundus iras
Voluit inanes.
Te manet palma, ô Michael, ſuprema;
Te noui plauſus, tibi non iniquas

Impius pœnas dabit Antichriſtus
Orbe leuato.
Lætus idcirco meritos vterque
Orbis, en hymnos canit, altus æther
Inclyto gaudet duce: gaudet ęquè
Pręſide tellus.
At meri cantus celebrantur iſtic:
Hîc (vti ſunt res variæ, atque mixtæ)
Reddimus proni quærulis remixta
Carmina votis.
En vides quantis miſeri premamur
Cladibus (noſtro merito fatemur)
Tota proh cæci terimus nephandis
Sæcula bellis.
Si tibi haud fruſtra data cura noſtri eſt,
Si tibi pax non temerè vocablum
Mutuat, belli procul ô cruentos
Pelle furores.
Fac tua leuis prece rex Olympi
Vindicem condat miſeratus enſem
Ferias donet, referatque feſſis.
Otia terris.

ITEM

Digitized by Google

ITEM IN ANGELOS OMNES & præcipuè in Michaelem Archangelum memorabilis deuotionis Hymnus Roberti Obrizij apud Atrebates olim paſtoris & Canonici.

ALata cæli qui neget agmina
Mortalium res aut minimùm, aut nihil
Curare, damnarit tenebris
Conſimili ratione ſolem,
Præſcripta nolit qui ſibi munera
Curſu diurno ſedulus exequi
Lucis per orbem ſeminandæ
Continuum renuens laborem.
Non finis vllus, non mora, non modus
Vlli Angelorum, credita munia
Ni compleant; omnes ſupremi
Patris in imperium ſequaces.
Pars adſtat ardens lumine flammeo
Pars entheis differta ſcientijs
Quas ſpargat in cœtus (cuique
Nullius inuidia) nouenos.
Vnum obtueri, concinere & Deum
Munus perenne eſt ac opus omnibus:

Siue orbibus quidam regundis
Præpoſiti Patre ſub benigno
Currentis anni temperiem ordinent,
Ventos, procellas, flumina vertere
Sidentum ab infra conſueti
Corporibus genus omne peſtes:
Prouinciarum ſiue alij ſtatus
Et principantis iura monarchiæ
Suffulciant, præſente vultu
Nil Patris iſta vetant fruiſci.
Terram colentum ſi minimus comes
Cæli miniſter ſit minimo additus
Expers voluptatis, leui nec
Nictu oculi queritetur exul.
Mortalium flent rebus in aſperis,
Gaudent ſecundis non ſecus ac ſuis
Dum carnis exortes ſupernæ
Conſocient meliùs choreæ.
Forma frequentes conſpicua hactenus
Innotuiſſent huic generi, genus
Hos noxiæ omnis ni peroſos
Et ſcelus & vicium fugaſſent.
Viſi ruentes curribus igneis
Quondam puello per iuga montium
Vatis rogatu, Dothaima
Cùm premit hoſtis eos in vrbe.
Viſus trucidans ilicet vnicus

Totam

Totam Syrorum colluuiem, ſacræ
Muros ſub vrbis clade tanta
Vix bene Sennacheribbe ſaluo.
Pæana quamuis lætior hunc tibi
Cantet Michael Chriſtiadum chorus,
Victoriam qui ſæuo ab vngue
Percelebrem miſeris reportas,
Mendacij ne ſubdolus artifex
Innoxiorum nomina deferat
Totos dies noctesque poſthac
Iudicis ad rigidi tribunal.
Tu dulcis Agni ſignifer inuehis
Aulis Olympi materiam vberem,
Laudiſque nunquam deſinentum
Lætitias epiniciorum;
Non ferre tardus Terrigenis opem,
Si forſan inſtet dura neceſſitas:
Spectator vt Garganus horum
Sic locuples ſimul ipſe teſtis,
Qua parte rauci deſpicit Adriæ
Fluctus, ſacellum vertice ſuſtinens
Quo non fide vana retentet
Angelici monumenta amoris.
Bellator adſis impiger, inclyte
Non obterendis tempore laureis,
Et qua potes vi, Chriſtianam
Quod facis, vſque tuere gentem.

Digitized by Google

In eius honorem & principatum inſignis verſus Marci Hieronymi Vidaæ Cremonenſis, Albæ Epiſcopi.

QVem te eſſe dicam pręꝑetum pulcherrime,
Quo te profectum ex agmine,
Cæli volatu qui pererras atria
Armis coruſcus aureis?
Túne illo cælitum inclytus princeps ducum
Dux alitum ales mentium,
Quas ipſe in orbis maximus primordio
Creauit omnium ſator,
Aulæque prępoſuit beatos incolas
Felicioris ętheris?
Vt te ferocem intueor enſe, vt Ænea
Hoſti imminentem cuſpide,
Simul iuuentæ flore & impubi gena,
Et ore dulci amabilem.
Vt arma pectus maſculum fulgentia
Plumæ vt leues humeros decent.
Salue volucris alme ductor agminis,
Cui creditæ cæli fores;
Tu contudiſti inſanientis Phoſphori
Bellator inſolentiam.
Contaminata cùm manu ille corruit
Inhoſpitale ſub chaos,
Vbi ſilentes territat remugiens
Vmbras tremendo murmure,
Satis ſuperque debitas pœnas luit

In-

Digitized by Google

Inefficax ſuperbia.
Vltore te, referre militaria
Te ſigna fuſis hoſtibus,
Videre ouantem ſidera admirantia.
Vterque te vidit polus.
Et ipſe ſummus ciuium in medio pater
Laudauit alitum choro,
Poſt quem tibi omnis aula cęli militat
Secreta cętus in nouem.
Regi ipſe ſemper aſsides propinquior
Reconditorum particeps,
Quæ deinde ſubſequentibus tu detegis
Mox alter aperit alteri;
Ad infimum deſcenderit donec gradum
Semper minor ſcientia.
Nec alter alteri inuidet præſtantiam:
Sed ſorte quiſque amplus ſua eſt.
O plurimùm beata gens cœleſtium
Felix genus volatile!
Vos ſolis vſque illius intuemini
Os, quo beantur omnia,
Metus nec vllus vellicat, ne forte ſit
Perennis hæc felicitas,
Quæ fixa clauo firmiùs adamantino
Hæret moueri neſcia.
Vos ætheris Regis miniſtri ſidera
Torquetis, & cæli vagos
Orbes rotatis, vnde tempus & dies,
Et noctis immotæ vices.
Vos temperatis aëreis flatus truces
Imbres, pruinas & niues,

Et

Et fulminum ſæuas coercetis faces,
Ne mundus ingens conflagret.
Vobis profundum in æquor eſt imperium aquas
Volubiles regentibus,
Globumque terræ ſuſtinetis pendulæ;
Et quidquid in terra viget.
Vos Alites hero ab ſupremo crebriùs
Ad nos venitis nuncij,
Deique noſtra afflatis almi pectora
Inuſitato numine,
Animiſque noſtris inſidetis additi
Duceſque adeſtis in via,
Nos donec exemptos humo nil inuidi, in
Veſtros adoptetis choros.
Adeſte nobis: namque quos vos prælio
Fregiſtis hoſtes, nos premunt,
In noſque victi virus omne colligunt,
Et tutò inermes prouocant.
Adeſte: diris peſtibus reſiſtite
Non inſueti laureis.
Tuque ô ſupremò ductor agminis die
Princeps ades certantibus,
Cùm falſa veris addita exprobrant probra,
Abſolue nos calumniæ,
Vitaſque corpus exuentes ſuſcipe
Haſta procacem arcens manum.

B. ALOYSII GONSAGÆ SOCIE-tatis IESV *Religioſi ad ipſum oratio in meditatione ſpeciali de illo lib. 3. vitæ eius ſub finem.*

O Inuicte Princeps & cuſtos fideliſſime Eccleſiæ Dei animarumque fidelium, qui ſemper tanta charitate zeloque tot pugnis interfuiſti, tantaſque ex hoſte victorias retuliſti, non ad conciliandam tibi famam & exiſtimationem, vt ſolent duces huius ſæculi, ſed ad conſeruandum tuendumque honorem & gloriam, quam omnes Deo debemus; deinde ad ſalutem humani generis promouendam, veni, quæſo, in auxilium animæ meæ, quæ continenter cum tanto periculo à ſuis inimicis, carne, mundo & dæmone impugnatur; & ſicut fuiſti populo Iſrael per deſertum, ſic quoque velis eſſe fidelis dux & comes meus per deſertum huius mundi donec ſecurè me perduxeris ad fœlicem terram viuentium, ad beatam illam patriam, à

qua

qua omnes exulamus. O anima mea, vtinam quando aderit vltima hora profectionis tuæ erroris & diſcriminis plena, cùm à corpore tantopere amato cogêris diſcedere, ſolaque & nuda anguſtiſſimam mortis portam, per tot infeſtas infernalium draconum capitalium hoſtium tuorum acies tranſire, qui te inſtar famelicorum leonum rugientes circundabunt ad te rapiendum & deuorandum parati; Vtinam, inquam, illo temporis puncto hic inuictus Archangelus, vti ſemper promptus fuit in omnibus animarum fidelium periculis, tibi quoque cum honorata ſua cohorte dignaretur ſubuenire, & pro te pugnare, & fortiſſimo protectionis ſuæ ſcuto efficere, vt ſecurus per medios hoſtes in patriam cœleſtem euadere poſſes. Quod ſi etiam ante ſeueriſſimi Iudicis tribunal tui patrocinium ſuſciperet pro te reſpondendo ſuiſque precibus peccatornm tuorum veniam obtinendo, & denique te ſub victrici ſuo vexillo receptũ perduceret ad ſanctã illã, beatamq; lucem, qua ipſe cũ omnibus Angelis & electis filijs lucis refulget cum ſempiterno gaudio & gloria creatoris, quanto cum ſolatio & lætitia cordis ex hoc mundo excederes? AMEN.

Ad-

ADditio ex Lyrano ad apparitionem trium Angelorum Abrahæ Patriarchæ Gen. 18. vbi Lyranus: Dicunt, inquit, Hebræi, quod iſti tres Angeli fuerunt Michael, Gabriel, & Raphael, ita quòd Michael erat in medio, alij autem ad dextram & ſiniſtram. De quibus & R. P. Pepinus Ordinis Prædicatorum commentario in Geneſim impreſſo anno 1528. De quibus, ait, nonnulli dicunt, quòd fuerint Michael, Gabriel, & Raphael, inter quos Michael erat medius tanquam ſuperior, qui venerat nunciare conceptum Saræ; de quo Meſſias, ſiue Dei filius naſceretur: Gabriel autem ad dexteram, qui veniebat ad deſtruendam Sodomam, & fortitudo Dei interpretatur: Raphael verò erat ad ſiniſtram, qui veniebat ad ſanandum circumciſos. Ita ille. vbi tamen & videri non abs re poſſet Michaelem medium apparuiſſe tanquam ordinarium ac primarium Sanctorum Patriarcharum ac populi fidelis Principem & Protectorem, vt Albertus Magnus annotaſſe fertur.

Ad textum iſtum Ioſue 5. *Ego ſum Princeps exercitus Domini:* R. P. Bonfrerius è Societate

cietate IESV, præmiſſis probationibus quod ibi per exercitum Domini intelligatur probabiliùs exercitus cœleſtis ſiue Angelorum: Nunc, dico, inquit, hunc Angelum non videri alium eſſe, quàm Michaelem, quia Apoc. 12. Michaeli in bello, quod in Luciferum & dæmones ab Angelis geritur, hic principatus adſcribitur, idemque totius Eccleſiæ ſenſus eſt. Et quanquam acceperimus hîc per exercitũ Domini Iſraelitarum caſtra, nolim tamẽ hîc alium, quàm Michaelem accipere; nam & hic olim ſynagogæ, & modo Eccleſiæ totius peculiarem curam habere creditur; idemq; Dan. 10. & princeps, & vnus de principibus primus dicitur, & rurſum, princeps veſter, Iudæorum ſcilicet, appellatur. Cap. item 12. Michael dicitur princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi Iſraelitici. Quin & nomen Michael, quod ſignificat, quis vt Deus, indicat eum ſe pro filijs Dei & pro Deo validiſſimè oppoſuiſſe & quotidie opponere Lucifero, eiuſq; omnibus in Deum & Eccleſiam Machinationibus. Annotant porro aliqui, inter quos Serarius in epiſtolam Iudæ, nomen iſtud inſigne Michaelis indicatum diuinitus fuiſſe Exodi 15. v. 11. vbi legitur:

Quis

Quis ſimilis tibi in fortibus Domine? ſiue in Hebræo מי כמכה באלים mi chamocha baelim, id eſt, quis ſicut tu in dijs, quod idem valet cum ipſo nomine Michaelis, omneſque eæ voces, quæ in Michaelis nomine continentur ex quibuſque componitur, reperiuntur.

FINIS.

Digitized by Google

APPENDIX.

Eccleſia eius inter octo principales Eccleſias Æthiopiæ, & aliæ frequentes.

SVperuenit & hiſtoria non indigna de Eccleſijs S. Michaelis Archangeli in Æthiopia, referente R. P. Petro Iarrico Toloſano Societatis IESV tertia parte hiſtoriæ rerum memorabilium Indiarum Orientalium lib. 5. c. 31. vbi author verbotenus gallico idiomate: Quantùm, inquit, ad Eccleſias famoſiores, hæ ſunt, Prima & capitalis omnium appellatur Debia Libanos, quod ſignificat Montem de Libano. Eſt in regno Xoa; hîc antiquitus ſepeliebantur Reges aut Imperatores Æthiopiæ. Incolæ ſunt Chriſtiani ijq́ue regionũ iſtarũ optimi. Secunda vocatur Marcoza Mariam, id eſt, electus Mariæ, in regno Goyama. Tertia, Dima, id eſt, Dominæ noſtræ, quæ eſt in regno Goroma. Monachi Eccleſiæ huic contigui ſepeliunt peſte defunctos, quæ in regno iſto valde frequens eſt. Quarta nominatur Macana Collacem, id eſt, ſedes

Trinitatis. eſt in regno Amara. Quinta nuncupata Laboca, id eſt, Mons Aureus. eſt dedicata S. Michaeli, ſituata in regno Goyama. Sexta dedicata S. Agapito in regno Dambea. Septima Saluatoris in regno Abagamedri, & octaua etiam Dominæ noſtræ dicata. In eodem regno erant olim centum & quinquaginta Eccleſiæ in ſolo vno longitudinis octo aut decem leucarum teratorio, quas olim Abyſſini frequentare ſolebant litanias cantantes, cùm gratiam aliquam à Domino præſtolabantur, diciturque ſolitos eos rogare, vt in ſignum exauditionis precum ſuarum viridem quãdam arborem iuxta Eccleſias illas areſaceret, quod eueniebat: ſed confeſtim poſt refuſas orationes ad Deum arbor reuireſcebat, & per hoc, ſe à Deo, quod petebant, accepturos, cognoſcebant. Attamen ſunt, qui dicunt, id deinceps poſt eorum ab Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana ſeparationem, non eueniſſe.

In regno Tigrenſi multæ etiam ſunt Eccleſiæ. Principalis omnium illa eſt, quæ nominatur Æcumo, Dominæ noſtræ dicata, ex lapidũ affabre elaboratorũ vario genere ædificata, & tres ad naues cum clauſtris

pulchra

pulchra & groſſa petra teſtudinatis: ſed poſtea per Regem Zeyla deſtructa, & per Saracenos, quos Portugalenſes deuicerunt, ita vt reſpectu eius, quod ante fuerunt, maceriæ tantùm nunc videantur, quanquam & notabilia etiamnum ſuperſunt earum veſtigia, & ſcripturæ, vnde eas per Europeos extructas aliquando fuiſſe colligitur.

In monaſterio huic Eccleſiæ vicino libri omnes, boni & mali, qui in Æthiopia ſunt, aſſeruantur, etiam Chronica Imperatorum, qui in eadem Eccleſia inungi ac coronari conſueuerunt, & qui hîc coronatus non fuit, nomen non gerit regis regum, aut Imperatoris, ſed dumtaxat nomen Regis. Alia Eccleſia vocatur Abagarima, Dominæ noſtræ etiam dicata. Inſignis erat olim amplitudine ac pulchritudine, ſed pòſt à Turcis & Saracenis ruinata; quãquam non adeo, quin adhuc mediocriter venuſta perſeueret; tametſi ad Synagogæ Iudæorum potiùs, quàm ad Eccleſiæ Chriſtianorum formam accedens. Vbi ſanctus quidam obijt, ex cuius nomine Eccleſia iſta nuncupatur. Vocatur enim Betta Abagarima, id eſt, domus vel Eccleſia Abbatis Garima, qui erat, vt fertur, vnus ex nouem religioſis

ligioſis Roma in Æthiopiam ad Abyſſinos in Romanæ Eccleſiæ fide inſtruendos, ſeparatoſque reducendos miſſis. qui & inter alia, ſcripturæ ſacræ libros ex Arabica in Chaldaicam linguam, qua omnes in Æthiopia libri conſcripti ſunt, verterunt. Et quia in hoc monaſterio habitauit, & defunctus eſt, ideo Abbatis Garjma domus vocatur.

Porro in omnibus his Eccleſijs ſunt Monachorum contigua monaſteria; eaque antiquitus valde pulchra, ſed nunc reſpectu formæ illius priſtinæ fere nihil. Sed & multæ aliæ inueniuntur Eccleſiæ, quę ſunt, vt plurimùm ac ordinariè vel Sanctæ Trinitati, vel Ieſu Chriſto, aut Saluatori, vel S. Cruci, vel Dominæ noſtræ, vel S. Michaeli, vel alijs aliquibus ſanctis dicatæ. Ita ibi. Ac de cultu eius in Æthiopia & regnis vicinis videri plura poſſunt ſupra, lib. 4.

Neque non admodum conſiderabile, quod obſeruauit D. Boucher S. Th. Doctor Canonicus & Archidiaconus Tornacenſis lib. 5. de corona myſtica cap. 7. mirabilem nempe terræmotum illum Puteolis prope Baios & Cumas, per illumque inter alia templi Apollinis in quo Sybilla Erithręa, ſiue Cumana, cui myſterioſus ille circulus impu-

imputatur, morabatur, ſubuerſionem, coronæque illius hæreticas contra nequitias ſignificatiuę inuentionem eueniſſe die ipſo S. Michaelis Angelorum principis, Eccleſiæque Chriſti, ſicut olim ſynagogæ, protectoris, anno 1538. ſub exortum, ſiue renaſcentiam tot tamque nefandarum hęreſum, quales non diu pòſt Eccleſia Chriſti exhorruit. & tandem pòſt amplas alias de his conſiderationes, ad ſuumque ibi propoſitum appropriationes, poſtrema inquit, conuenientia eſſe poteſt, quòd ſicut terrifica iſta & prodigioſa iſtius terræmotus in die Principi Angelorum, totique nobili illi hierarchiæ ſacro euenerunt, ita etiam indicium inſigne illa eſſe nouæ cõtra eiuſmodi tantarum hæreſum exorientia monſtra indignationis totius illius cœleſtis turbæ ac particulariter illius, cuius zelus in poſſeſſione Luciferum proſtrandi perſeuerans, & diem vltimum, in quo draconem deſtruet, expectans, ibi rurſum ſeſe exhibuerit in ſuæ aduerſus genimen eius commotionis indicium. Vtpote, inquit, qui princeps eſt Eccleſiæ Chriſti, ſicut olim ſynagogæ; Princeps exercitus Domini, vt legitur Ioſue cap. 5. Qui ſtat pro populo Dei. Dan. 12.

Ideo-

Ideoque operator mirabilium inter Chriſtianos, ſicut fuit olim, cùm inuertit Pharaonem & exercitum eius in mari rubro; deiecit muros Iericho; Ioſue animauit, fortificauit Gedeonem cum trecentis eius aduerſum centum & viginti millia Madianitarum viris; interfecit caſtra Sennacherib interimens tum nocte vna centum octoginta quinque milla armatorum. 3. Reg. 19. liberauit tres pueros de fornace. Dan. 3. & Danielem de lacu leonum, quò & Abacuk portauit. Ac deinde qui in Euangelio is cenſetur, qui piſcinæ aquam mouit, qui Dominum in agonia confortauit, qui ſepulchri lapidem mouit magno cum terræ motu; qui S. Ioanni apparuit, pede vno ſuper terram, & altero ſuper mare, iuxta quod in officio eius canit Eccleſia: *Concuſſum eſt mare, & terra tremuit, quando Michael Archangelus deſcendit de cælo.* Ac denique, qui ille eſt, qui poſtquam Antichriſtum interfecerit, & exercitum eius ſubuerterit, tuba canet ad iudicium. Vt proinde, fuerit hîc etiam ſcintilla ac pręparatio aliqua mirabilium, quæ per illum futura ſunt & expectamus, contra impietatem eandem, quæ tum naſci incipiebat.

Sicut,

Sicut, inquit, ſub finem mirabilis alterius terræ motus ſex menſium Conſtantinopoli ſub Theodoſio II. anno 446. puer aliquis ex communi, quę tum fiebat, proceſſione in altum aërem eleuatus fuit, & Angeli Triſagium, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis, contra nempe Eutychetis & aliorum hæreſes, cantare à populo auditi.

Atque igitur, Deus, Optimus, Maximus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſat, concedere dignetur propitiùs, vt à quibus ei miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra vſque ad eorum in beata Dei fruitione fæliciſſimam ac deſideratiſſimam ſocietatem muniatur per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

SVM-

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMARIA LIBRORUM & capitum huius operis, cum rerum memorabilium indice.

LIBRI PRIMI.

CAP. I. DE S. Michaelis Archangeli creatione & natura & gratia. pag. 1.
CAP. 2. De eodem. pag. 5
CAP. 3. Quòd primos parentes protexerit. pag. 10
CAP. 4. Poſt diluuium quòd Iſaac ab immolatione & Iacob à fratre ſuo liberarit. 12
CAP. 5. Quòd populum ex Ægypto eduxerit, ac per mare rubrum & deſertum deduxerit, quòdque Dathan, Abiron & Core

Core punierit, & Balaam in via corripuerit. 13
CAP.6. De pugna eius pro Moyſi corpore. 18
CAP 7. Quòd duci Ioſue in campo Ierico apparuerit & per eum vrbem illam, ac 29. reges deuicerit. 21
CAP. 8 Quòd Iudices deinceps direxerit, & cur gentes inimicas non ſtatim deleuerit, quodque Gedeoni & parentibus Samſonis apparuerit. 24
CAP. 9. Quòd & quare 12. Tribus contra vnicam tribum Beniamin cadere, & arcam fæderis in manus hoſtium venire permiſerit & Saulem abiecerit. 27
CAP. 10. Ab ipſo populum ſub Dauide peſtilentia percuſſum fuiſſe. 29
CAP. 11. De Dauide deinde poſt peccatum pœnitente. 30
CAP. 12. De receſſu, paſtu & raptu Eliæ per ipſum. 31
CAP. 13. Eum circa populum Dei caſtrametari. 35
CAP. 14. Quòd caſtra Aſſyriorum interemerit. 37
CAP. 15. Quòd Suſannam per Danielem, & 3. pueros liberauerit. 40
CAP. 16. Quòd Danieli in lacu leonum adfuerit,

fuerit, ad eumque Abacuc portarit. 42
Cap. 17. Quòd Ezechielem aſſumpſerit, & in Ieruſalem deduxerit. 44
Cap. 18. Nomen Michaelis vnde primò cognitum & de pugna eius contra principem Perſarum. 45
Cap. 19. Mandat Danieli vt viſionem de iugi ſacrificio & conculcatione ſanctuarij Danieli exponat. 49
Cap. 20. Quòd populum è captiuitate Babylonica reduxerit & de apparitione eius Zachariæ. 51
Cap. 21. Metitur Ieruſalem cap. 2. Zach. & Iudith contra Holofernem confortat. 55
Cap. 22. Heliodorum in equo terribilis apparens deterret ac flagellis corripit. 57
Cap. 23. Machabęos contra hoſtes cæteros & contra Antiochum, iuxta Danielis Prophetam, protegit. 59
Cap. 24. Adeſt Iudæ Machabæo contra Timotheum. 63
Cap. 25. Ipſum fuiſſe, qui ſecundùm tempus in piſcinam deſcendens aquam mouebat Ioan. c. 5. 64

LIBER SECVNDVS.

De principatu ac geſtis S. Michaelis Archangeli in Eccleſia Christi.

CAP.1. Quòd ſit cuſtos & protector Eccleſię Chriſti ſicut olim ſynagogæ. pag.65
CAP.2. De ſtudio eius ac zelo circa Eccleſiæ Chriſti exordium, circa S. Ioan. Baptiſtam, tres Magos, Natiuit. Chriſti &c. 67
CAP.3. Quòd hoſtiles contra Chriſtū inſultus reprimeret, quòd ei in transfiguratione adfuerit, & in horto confortauerit. 69
CAP. 4. Eum in horto Chriſtum confortaſſe, & qua ratione. 70
CAP. 5. Machinatio dæmonis contra Chriſtum in eius paſſione. 75
CAP. 6. De pugna eius contra diabolum, quodque eum ligatum miſerit in abyſſum Apoc.20. 76
CAP. 7. De eodem argumento. 77
CAP. 8. De eodem argumēto & prælij iſtius grauitate. 82
CAP. 9. Quòd Chriſto ad inferos deſcendenti adfuerit; quòd eius reſurrectionem mulieribus nunciarit, & ad eius aſcenſionem Angelos omnes aduocarit. 84
CAP. 10. Quòd B. Petro preſto fuerit, ad Cornelij

nelij

nelij & Pauli conuerſionem operatus ſit, & in Deiparę aſſumptionem miram operam præſtiterit. 86
CAP. 11. Loca Apoc. 12. & 8. de ipſo exponuntur. 88
CAP. 12. De eius apparitione diuæ Magdalenæ. 93
CAP. 13. De apparitione Chonenſi in Aſia & Archippo, & filia Laodiceni curata & alijs miraculis. 96
CAP. 14. Archippi ad templum eius aduentus, & eiuſdē in eo ſancta conuerſatio. 102
CAP. 15. Infidelium contra Archippum & ſanctam aquam inanis machinatio. 104
CAP. 16. Fuiſſe ibi S. Michaeli templum erectum, & de eadem apparitione, deque fęlici Fmmanuelis Imperat. ad templum illud aduentu. 111
CAP. 17. De Mengapha rebelle & huius templi violatione. 113
CAP. 18. Apparet S. Mercurio Martyri, & eius imago in cruce S. Procopij cùm alijs duabus diuinitus efformatur. 115
CAP. 19. Apparet S. Clementi Epiſcopo Ancyrano tradens ei panem & calicem, & S. Iulianæ iubet ſerpentem apprehendere. 117

CAP. 20. Adeſt S. Alexandro militi, & carnificem ac tyrannum terret, & de templo eius in Soreis. 119

CAP. 21. In martyrio S. Paphnutij Chriſtus inter Michaelem & Gabrielem apparet, & eius corpus readunatur. 121

CAP. 22. De Soſthenio. 122

CAP. 23. De eius apparitione Imperatori Conſtantino. 125

CAP. 24. De miraculis alijs ibi factis. de miraculoſa Aquilini ſanatione. 129

CAP. 25. De curatione Probiani, & quòd crucis effigiem in viſione illi exhibuerit. 131.

CAP. 26. De Marciano templi Archangelici Cærifero. 132

CAP. 27. De alio templo apud Soſthenion, & alijs templis & locis in vrbe regia. 138

CAP. 28. S. Daniel Stylites templum S. Michaelis ingreditur, & dæmones fugat. Blaſius Imp. templum in Soſthenio renouat. 140

CAP. 29. Iſaacus Imp. magnificus quaſque tabulas aliaq; monumenta in ædem eius importat. 143

CAI. 30. S. Theodorus Archimandrita baſilicam eius extruit, & paralyticam ibi ſanat.

nat. Fpiſcopus item Cadeſiæ & alij ſanantur. 145
Cap. 31. S. Plato Galyta martyr Archangeli opē implorat. S. Anaſtaſius martyr eum ſtantem ac ſe fumigantem videt. In miſſa S. Ioan. Chryſoſtomi poſt Deiparam inuocatur. 147

LIBER TERTIVS.

De mirabilibus eius in Occidente.

Cap. 1. De apparitione eius in vrbe Roma. 149
Cap. 2. De feſto eius Romæ, & templis. 151
Cap. 3. A quo Bonifacio Eccleſia eius Romæ erecta. 155
Cap. 4. De eodem argumento, & quando peſtis Romę ad eius apparitionem ſublata. 157
Cap. 5. De eodem argumento. 159
Cap 6. De apparitione eius in Gargano, & cultu, & miraculis. 161
Cap 7. De dedicatione Eccleſiæ in Gargano. 165
Cap. 8. De peregrinatione in Garganum. 169
Cap. 9. De S. Romoaldi erga eum deuo-
 tione.

tione. De impreſſione ſacrorum ſtygmatum S. Franciſci & alijs mirabilibus. 172
CAP. 10. De alijs ibidem & ad imaginem eius mirabilibus geſtis. 175
CAP. 11. De alia eius apparitione in fauorem Conſtantis Imp. 178
CAP. 12. De alia eius apparitione Ottoni Imp. & eius punitione. 180
CAP. 13. Alia eius apparitio & miraculoſa ſanatio ducis Senogalliæ. 181
CAP. 14. Alexandri III. S. Ægidij. S. Franciſci & Matris S. Claræ erga eum deuotio. 184
CAP. 15. De manifeſtatione & apparitione eius in Gallia, & quod S. Martino adfuerit, & de fundatione Cœnobij eius in parochia Verdunenſi. 185
CAP. 16. De eius apparitione & cultu Abrincæ in Normannia. 189
CAP. 17. De fontis ibidem miraculoſa ſcaturigine & puerperæ inter maris refluxum liberatione. 192
CAI. 18. De rebus inter filios Guilielmi Baſtardi Mormanniç ducis in eodem monte geſtis. 194
CAP. 19. De puella Virgine ad Francorum contra Anglos defenſionem per S. Archangelum inſtructa & confortata. 197
cap.

Cap. 20. De inſtitutione Ordinis equeſtris S. Michaelis in Gallia, & de mutua inter reges inſignium geſtatione. 201
Cap. 21. ſeu 22. De fundatione Eccleſiæ & monaſterij S. Michaelis iuxta montem Tombelaine. 204
Cap. 22. notatum 21. Alia mirabilia de eodem monte. 203
Cap. 23. De ſcuto & gladio S. Michaelis ibi aſſeruato. 213
Cap. 24. Indulgentiæ multæ in illo monte. 218
cap. 25. Aliqua miracula ibidem patrata & authoritate publica confirmata. 223
cap. 26. S. Franciſci de Paula & Ordinis eius erga eum deuotio. 226
cap. 27. De cœnobio S. Michaelis in Lotharingia & alijs monaſterijs & montibus. 229

LIBER QVARTVS.

De montibus eius in Anglia, Hybernia, Germania, Norvvegia, Hungaria, Italia, Dania, Tranſiluania, Moſcouia, Æthiopia & alijs.

Cap. 1. De monte, apparitione, & cultu eius

eius in Anglia & quando fidei catholicæ ſonus eò peruenerit. 233
cap. 2. Quòd in conuerſione Anglorum operam præſtiterit. 238
cap. 3. S. Guduuallo diem obitus prædicit, in eius manſione puer mutus curatur, & de angelotis Anglicanis. 241
cap. 4. Viro militari impœnitenti peccata eius Angeli patefaciunt, poſt quos aduenit turba dæmonum. 244
cap. 5. Cultum eius in Scotia viguiſſe. 246
cap. 6. De monte S. Michaelis in Hybernia, & quibuſdam in eo mirabilibus. 247
cap. 7. De apparitione eius & cultu in Germania. 250
cap. 8. In caſtris Henrici I. Imp. & Ottonis I. ac aliorum ſignum præcipuum fuit Angeli imago. 252
cap. 9. Quòd Henricus II. Imp. Monaſterium in eius honorem inſtituerit, & Eberhardus Eccleſiam dedicauerit. 255
cap. 10. Bambergenſes ad montem eius procedunt & præſulem S. Othonem per eum à Deo impetrant & de huius præſulis erga eum deuotione. 257
cap. 11. S. Anno Archiepiſcopi Colonienſis erga eum deuotio, & Epiſcopi Conſtantienſis.

tienſis. Fpiſcopus Hildeſemenſis ei monaſterium extruit. 260
cap.12. S. Fliſabethæ Virgini cum thuribulo in feſto ſuo apparet. Rudolphus I. Vnde Auſtriaci Cæſares, in eius die vel infra octauam Imperator eligitur, & de Ludouico Bauaro ex eadem ſtirpe. 263
cap. 13. S. Benno in eius monaſterio educatur. Apparet ſorori Chriſtinæ animas Deo præſentans. De Eccleſia ſua in monte Guduisberg in alium locum auolare cõſpicitur & quare. 265
cap. 14. Sex milites templi à paganis ſuperuenientibus per eum liberantur. Videtur à S. Iſerbardo in auxilium præparatus. Dæmones fugat & cædit. 270
cap. 15. Mons S. Michaelis in Norwegia, & Hungaria. Ladiſlaus videt eum capiti fratris ſui coronam imponentem. 272
cap. 16. De templo Michael Slagoſæ, & in Alba Iulia. Mons eius in Tranſiluania. 274
cap. 17. De cultu eius in Italia & Europa mixtim. 275
cap. 18. Quòd S. Furſæum contra ignem & dæmones protexerit. 277
cap. 19. Ramirus duo templa in eius hono-

honorem ædificat. Victoria miraculoſa trans Danubium per Angelos. Pueri S. Michaelis ad mare perigrinantur. 278
cap.20. Apparet adoleſcenti dæmones arcens, eiuſque animam ad corpus reducit. S. Capraſio diem obitus prædicit. 280
cap.21. Apparet cum Gabriele fratri cuidam morienti, eiuſque animam ad cælum deducit. Alium fratrem ex purgatorio liberat, & de miſſis eius in honorem. 282
cap.22. Vſurarij cuiuſdam bona opera bilanci imponit, eumq́ue tuetur. eius protectionē dæmones timere viſi ſunt. 285
cap.23. De cultu eius in alijs mundi plagis & regionibus. 287
cap.24. In nouo orbe nomen eius inſcriptum eſſe. mirabilia ibi per ipſum geſta. S.Frãciſci Xauerij erga eum deuotio. 289
cap.25. Rebelles ob extractum ex eius templo virum puniuntur. Bamba Rex Hiſpaniarum ob iuſtitiæ in caſtris cuſtodiam contra hoſtes ab eo protegitur. 292
cap.26. De cultu eius in Moſcouia, Iapohia, India & alijs locis. 294
cap.27. De præſidio & actibus eius in fine mundi. 297
cap.

cap.28 De eodem argumento. 300
cap.29. De eodem argumento & nece Antichriſti. 303
cap.30. De opera eius circa reſurrectionem mortuorum. 306

LIBER QVINTVS.

Cap. 1. De nomine Michaelis & vnde notum. 313
cap. 2. De ſcriptoribus eius. 315
cap. 3. Exterminatoris nomine apud Paulum, Iudith, & Sapientem intelligi. 316
cap. 4. Quòd ſit Princeps omnium Angelorum. 320
cap.5. Vnde aliqui diuersũ opinati ſunt. 326
cap.6. De principatu eius in terris, 330
cap. 7. De honore eius & cultu poſt Deum & B.Virginem in Eccleſiæ officijs. 334
cap. 8. Miſſionem eius & præſidentiam in terris cum cœleſti eius principatu non pugnare. 337
cap.9. De miſſione eius ad magna & ardua. 347
cap. 10. Vt animas in morte ſuſcipiat, earumq; merita ac demerita ponderet. 351
cap.11. De eodẽ animas ponderandi officio,

& in

& in extremo iudicio quid geſturus. 336
cap.12. De alijs eius prærogatiuis & officijs. 359
cap. 13. Vt Dei perſonam ſuſtineat. 362
cap.14. De qualitate & ſpecie apparitionum eius. 366
cap.15. De feſtis eius. 369
cap.16. De imaginibus & picturis eius. 373
cap. 17. De montibus eius & altis locis. 376
cap. 18. De titulis eius & honorificis appellationibus. 378
cap.19. Peregrini & alij ei deuoti. 380
cap. 20. An ſit vnus è ſeptem Angelis vel Spiritibus. 385
cap.21. Annotatio de principatu eius ſupra omnes Angelos ex Cardinale Bellarmino. 388
cap. 22. De cognitione eius & intellectu. 390
cap.23. De voluntate eius & zelo. 392
cap 24. Pulchritudo, excellentia & nobilitas eius. 394
cap. 25. Potentia & virtus eius. 401
cap.26. Ipſum etiam malis Angelis præeſſe. 403

cap.

cap. 27. De locutione eius & Angelorum. 407
Cap. 28. De ſitu eius & habitu. 410
cap. 29. De perpetuo eius prælio. 414
cap. 30. De officio feſti eius, & colore paramentorum. 418
cap. 31. D. Michaelem eſſe vnam ex quadrigis Verbi incarnati. 423
cap. 32. Signatum 33. Beneficiorum ac officiorum eius & Angelorum erga nos breuis collectio. 429
cap. 34. De cultu eius in monte Malea. 433

LIBER SEXTVS.

ENcomium Sancti Michaelis Archangeli iuxta ſacram & alias de illo probatas hiſtorias à puero declamatum, pòſt recognitum. 436. & ſeqq.
Eraſmi Roterodami in eius honorem & principatum carmen. 465

Marci

Marci Hieronymi Vidæ Cremonenſis, Albæ Epiſcopi in eius principatum & cuſtodiam verſus inſignis. 472
Roberti Obrizij apud Atrebates Paſtoris & Canonici in eius protectionem & primatum hymnus memorabilis. 469
B. Aloyſij Gonzagæ ex meditatione ſpeciali de ipſo ad eum oratio. 475
Annotatio de apparitione 3. Angelorum Gen. 18. & de nomine eius ad illud Exo. 15. *Quis ſimilis tibi in fortibus Domine?* 477

Si de particularibus aliquibus rebus in hoc opere admemoratis minùs certum ſit per S. Archangelum immediatè geſtas eſſe, tamen conſtat iuxta Dei prouidentiam Angelos inferiores per ſuperiores illuminantis & gubernantis, geſtas eſſe per alium ſaltem vel alios ab eo ſubdelegatos, eaſque proinde etiam non immeritò ei attribui.

F I N I S.

Digitized by Google

5-3-1

Digitized by Google